DE ORIGENIS ETHICA.

SCRIPSIT

DR. GUILELMUS CAPITAINE,

VICARIUS ET RELIGIONIS PRAECEPTOR

IN GREVENBROICH.

MONASTERII GUESTF.

SUMPTIBUS TYPOGRAPHIAE ASCHENDORFFIANAE.

MDCCCLXXXXVIII.

Imprimatur.

Monasterii die 17. Octobris 1898.

de Noël,
Vic. Eppi. Genlis.

Nro. 6448.

Lectori.

Cum ad capessendam lauream de Origenis principiis ethicis V. D. Mausbach professore Monasteriensi autore scribere animum induxerim, opere procedente satius duxi ea quoque, quae sparsim ad specialem de moribus doctrinam pertinentia inveni, diligenter colligere et commentationi meae intexere. Quod ita feci, ut graviora in textum reciperem, alia notis exprimerem.

Cum multa operum Alexandrini versionibus tantum Latinis exstent, ita Latina lingua usus sum, ut quam plurimum cum versionibus ipsis consentiret. Ubi adsunt scripta originalia, ea semper consului atque in adnotationibus copiosissime citavi.

Doctrina moralis Adamantii doctoris, ut operis mei lectorem non fallet, adeo eminet inter scriptorum aequalium opiniones, ut certe expositione continua et accurata dignissima appareat. Quod ad illustrandum si hae litterarum mearum primitiae non omni ex parte sufficiant, tamen et in rebus dissitis colligendis laborem et in totius systematis ingenio describendo fidem ad viri praestantissimi gloriam augendam non inutilem fuisse mihi persuadeo.

Comipaludii festo assumpt. B. M. V.

Autor.

Index.

Prooemium.

I. De hominis natura.

II. De fine hominis.

III. De notione boni.

Appendix.

I. De praeexistentia animarum.

II. De poenis et igne aeterno.

Prooemium.

Omnium primae ecclesiae orientalis patrum et scriptorum nullus fere est, qui ingenii acumine, auctoritate ac dignitate personae, operum multitudine superarit Origenem, scriptorem Alexandrinum. Vix iuvenis catechumenis erudiendis praefectus, ex illo tempore mira cum diligentia docens et scribens, innumeros vivens doctrina catholica instruxit, atque cum ipse gloriosi martyrii tormentis succubuisset, plurimi et ethnici et christiani ex eius operibus christianae fidei veritatem cognoscebant; itaque ipsi clarissimi ecclesiae doctores, ut Gregorius Nyssenus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Athanasius multique alii, diligenter in Alexandrini studia incumbebant eoque magistro gloriabantur. Dolendum quidem est, quod magnus ille scriptor multos in libris suis docuit errores, ita ut, quamvis Origenis tanta esset auctoritas, ut plurimi mallent eum sequentes errare, quam neglegentes recte credere [1]), tamen ipsius viventis Origenis a multis dubitaretur orthodoxia [2]), et post mortem scriptoris plurimae dissensiones et controversiae in ecclesia ortae sint. Sed graviores illi errores in rebus dogmaticis inveniuntur; quae de rebus ethicis scripsit, multo magis cum doctrina catholica consentiunt. Quare sine dubio tanti scriptoris doctrinam ethicam continuo sermone explanare operae pretium est, praesertim cum nostris temporibus et theologi et philosophi cognoscendis et exponendis veterum christianorum operibus maximam dent operam [3]).

---

[1]) Vinc. Ler. Comm. c. 23 (al. 17).

[2]) Cf. Bardenhewer, Patrologie, Freiburg 1894. p. 150, 158. Kraus-Alzog, Kirchengeschichte, Mainz 1882. Bd. I. p. 248, 351. Scheeben, Der Katholik Jahrg. 1866. Bd. II. p. 291.

[3]) Utimur editione de la Rue, Migne, P. G. t. XI—XVII; citamus ita, ut Latinis numeris indicemus singulos libros, (vel homilias, tomos commentariorum cet.)

Si verum est, quod dicitur, omnes viros eximios pendere a temporibus, quibus orti sunt, hoc certe de magno nostro Alexandrino dici potest. Alexandria, ubi natus est Origenes [1]), caput Aegypti, diu etiam caput fuit omnium urbium, in quibus artes et litterae florebant. Clarissimi orientis et occidentis doctores ibi concurrebant magnumque discipulorum numerum inveniebant. Docebatur fides christiana et gentium philosophia; leges Judaeorum tradebantur et gnosticorum haereses, et ita factum est, ut philosophicae et christianae doctrinae intime coniungerentur et omnis, sive christianus philosophus, sive ethnicus vel haereticus, saltem nosceret aliorum cultuum nonnulla principia. Accedebat, quod et antiquarum litterarum studia Alexandriae a multis iam temporibus floruerant et adhuc florebant, atque quae a philologis docebantur scriptisque tradebantur, multos lectores habebant [2]). Hac autem in urbe, philosophorum atque haereticorum doctrinis non semper invicem se impugnantibus, difficillimum erat theologo christiano, rectam tenere viam in suo systemate excogitando, ne quid ex philosophia vel haeresi falsi subrepat. Maius etiam erat hoc periculum, quia perraro varia philosophorum systemata tam erant sibi inimica, ut non posse etiam, quae adversarii docerent, vera esse concederent. Difficultas ergo cum tanta esset, in omnibus recta invenire, falsa refellere, varia diversorum elementorum ten-

arabicis singulos huius editionis capitulos; insuper saepe aliis numeris arabicis (cum sign, n. vel p.) indicamus numeros ab editoribus crassioribus litteris impressos; nonnullis etiam locis, ut citata melius inveniri possint, paginam notavimus. Ubi citamus tres primos libros „de Princ." primus numerus arabicus caput, alter capitulos indicat. Ubi allegatur Redepenning (citans ipse ex libro περὶ ἀρχῶν), consulenda est eius editio libri *Π. α.* Leipzig 1836. — Similiter aliis scriptoribus et patribus utimur; ubi citantes Clementem Alexandrinum unum scripsimus numerum cum sign. p., hoc indicat crassiores numeros edit. Migne.

[1]) Redepenning, Origenes, Darstellung seines Lebens und seiner Lehre. Bonn 1841: I. Beilage, über Origenes' Geburtsjahr und den Ort, wo er geboren wurde. Bardenh. l. c. p. 149.

[2]) Denis, de la philosophie d'Origène. Paris 1884, cuius opus optimum est eorum, quae nostris temporibus de Origene scripta sunt, Alexandriam vocat: „ville cosmopolite, égyptienne, grecque et juive par sa population, qui était le rendez-vous de toutes les traditions et de toutes les idées." p. 4; cf. Redepenning l. c. Einleitung. Thomasius, Origenes, ein Beitrag zur Dogmengeschichte des dritten Jahrhunderts. Nürnberg 1837. p. 14 sq., Bigg. The christian Platonists of Alexandria; eight lectures cet. Oxford 1886, lect. II. p. 36—40.

tabatur commixtio, ita ut eclecticismus in philosophia et syncretismus in rebus, quae ad religionem spectabant, ubique se ostenderet.[1])

Qua aetate Origenes Alexandriae erat, ibi maxima philosophorum pars Stoicorum sequebatur doctrinam; multi etiam erant Platonici, quorum Taurus, Atticus, Numenius primas partes agebant. Praecipue Numenius multa afferebat elementa, quae adhuc ignota erant, et quae certissime ex orientis philosophia aut theologia desumpta erant. Clementem et Origenem doctrinam hanc Platonicorum bene novisse et in multis sequi inter omnes constat. Peripateticorum disciplina hac aetate novos acquirebat asseclas, a quibus tamen Origenes non pendet.[2]) Ceterum si agitur de Origenis doctrina, a priori iam oportet suspicari, in eius scriptis multa inveniri, quae etiam in philosophorum huius aetatis libris inveniantur. Quod re ipsa comprobatur. Quae philosophi profitebantur consentanea christianae religioni, desumpserat Clemens, desumpsit etiam Origenes et in doctrinae suae systema intexuit.[3]) Si spectamus dogmata, circa quae tunc maxime versabatur controversia, multae iam diversi generis materiae inter se coniunctae erant, plurimae tamen erant, quae non bene inter se comparari et coniungi poterant. Ebionitarum haeresi repulsa subordinatianismus et Sabellianismus inter se contendebant; reiecto chiliasmo, quem docebant Cerinthiani. Montanistae, multique alii haereticorum, alteri defendebant poenarum aeternitatem, alteri quandam *ἀποκατάστασιν τῶν πάντων*. Etiam de animarum origine non erat una omnium opinio: traducianismus et doctrina illa de animarum praeexistentia de principatu certabant.[4]) Haec quidem de dogmatibus controversiae hic respici debent, quia huius aetatis scriptores raro de ethica specialia scripserunt opera, sed ea, quae de scientia morali disserunt, dogmaticis commentationibus innectunt. Tot autem de rebus gravissimis et difficillimis contro-

---

[1]) „Le difficile n'était pas à Alexandrie de n'être pas conciliant, mais de ne l'être que dans une juste mesure, et de combiner la théologie élaborée par les philosophes juifs ou grecs avec la tradition apostolique sur le Christ sans violenter ni dénaturer cette tradition.“ Denis. p. 7.

[2]) Cf. Denis p. 9, 59.

[3]) „Ils prirent de tous les systèmes ce qui leur parut s'accorder avec la foi, non cependant, sans des préférences très marquées dans leur eclecticisme.“ Denis. p. 9. cf. Redep. I. p. 79.

[4]) Cf. Redep. I. p. 90, 91, 94.

versiae a theologis Alexandrinis nequaquam uno ictu reici poterant, quia, ut supra diximus, syncretismo favebant et philosophorum doctrina multum in doctrinam christianam influebat. Id ergo, quod ad diiudicandum Origenis indolem et valorem summi momenti est, concedamus oportet: Origenes cum omnibus aequalibus habet eandem in plurimis doctrinam, eosdem errores, licet in ipso, qui aequales cum ingenii acumine, tum operum multitudine longe antecedit, etiam errores maiori numero inveniantur. [1]) Recte ergo tunc demum de Origene iudicare possumus, si novimus has rationes et conditiones, quibus tunc afficiebatur scientia

---

[1]) Denis. p. 613: „toutes les théories d'Origène, même les plus imaginaires, représentent l'état intellectuel et moral du siécle où il a paru. Mais les unes lui étaient plus spécialement imposées par les tendances et les besoins dogmatiques de l'Église, les autres au contraire lui sont plus personnelles. Sa théologie est le développement de ce qui tourmentait en quelque sorte l'âme de l'Église, ou de ce qui la tourmentera bientôt; sa cosmogonie et sa téléologie, c'est à dire, ce qui lui est le plus personnel, sont bien certain sorties d'une inspiration éminemment chrétienne, mais d'une inspiration, qui si naturelle qu'elle fût dans l'état des esprits, n'était pas cependant partagée également par toute la communauté.“ ibid. p. 59: „je ne crois pas qu' Origène ait puisé dans la science hellenique aucun de ses principes essentiels. Ce qu'il a pensé il l'aurait pensé sans connaître en eux mêmes les stoiciens, ni Platon. Mais il est vrai qu'il leur a souvent pris la forme sous laquelle sa pensée s'est produite. Ce n'est point, parce qu'il est plus ou moins platonicien, qu'il admet par exemple la préexistence des âmes. Car aucune des raisons sur lesquelles il appuie cette opinion est prise de la psychologie, ni de la métaphysique platonicienne.“ . . . p. 60: „ce n'est pas aux stoiciens, mais à la tradition chrétienne, qu'il doit sa doctrine sur la fin et le renouvellement du monde par le feu mais c'est sous l'influence du stoicisme qu'il a fait de ce coup de théâtre divin un moment nécessaire et régulier du développement et de la vie du monde . . . il s'est donc servi incontestablement de la philosophie grecque pour l'expression de ses doctrines, et cela non seulement en employant son langage mais encore lui empruntant toujours avec d'assez fortes modifications, des hypothèses qui sont comme la mise en scène de ses idées.“ p. 61: „il doit donc son idéalisme exalté à Platon, soit directement, soit par l'intermédiaire de Philon, de Numenius et des gnostiques qui devaient en grande partie de leur au philosophe d'Athènes. Mais il ne faut pas trop déscendre dans le détail et dire telle ou telle doctrine Origène l'a empruntée à Platon, ou aux stoiciens: non, les doctrines sont de lui et de son temps.“ Haec si tenemus, recte de Origene iudicare possumus, et nihil fere refert, id quod semper in controversia erat, discutere, utrum Origenes Ammonii Saccae discipulus fuerit, necne. cf. Redep. l. c. I. p. 230; Zeller, Gesch. d. gr. Phil. II. Aufl. III. p. 683 adnot. 3; Krüger, Über das Verhältnis des Origenes zu Ammonius Saccas, in Illgens Ztschr. für historische Theologie 1843. Heft I. Bardenh. l. c. p. 150.

Alexandrina et si aliquantum novimus et conferimus cum Origenis doctrina sententias eorum philosophorum, quorum opiniones Alexandriae plurimis notae erant. Floruit Alexandrinus noster secundo et tertio saeculo, itaque ne comparaveris eum cum quarti et quinti saeculi magnis patribus, Athanasio, Basilio, Augustino; confer eum cum doctoribus, qui aequales eius fuerunt, et satis magnus tibi apparebit. [1])

Sed licet animo tam benevolo ad Origenis studia progrediamur, tamen maximae in eius doctrina oriuntur difficultates. Multa scripsit Origenes, — fortasse maior erat amicis impellentibus eius scribendi industria [2]) — et vix invenitur ullum scribendi genus, in quo se non exercuerit. Quis autem est vir etiam summi ingenii, qui in rebus tam diversis optima semper et vere egregia praestiterit? Nullos timebat Origenes labores, dies noctesque incumbebat in litteras, [3]) atque indefessa industria merito Adamantii *(Χαλκέντερος)* cognomen sibi comparavit. Quamvis, ut varia eius opera ostendunt, universali fuerit scientia, tamen fieri non potuit, quin saepe eius scripta (e. g. multa exegetica) brevi tempore et sine multo studio sint composita. [4]) Ita etiam factum est, ut non in omnibus sibi scriptor industrius constet, imo satis multa sunt in scriptis eius, quae sibi contradicant. Nimirum facilius nobis, quam ipsi auctori est invenire, quae ita sibi contraria sunt; quamquam, quod debemus, libenter fatemur, in primis suis et summis principiis atque in omnibus rebus alicuius momenti satis eum sibi constare.

Valde dolendum est, quod Adamantii opera non omnia habemus in textu originali. Brevi enim tempore post mortem scriptoris multa perierunt. Quae ex his adhuc exstant

---

[1]) Bigg. l. c. lect. VIII. p. 280: „Among the greatest of these builders (eius aetatis) were Clement and Origen. We must ask, what they found to build with. We must throw our selves back into the days, when tradition was in the making, and beliefs which afterwards seemed eternel truths (?), had as yet occurred to no man. We must compare them not with Anselm or Augustine, or Basil, or Athanasius, but with Irenaeus, or Tertullian, or Hippolytus, or Justin and, where these disagree, we must allow, that there was as yet no definite creed.“

[2]) Cf. Bardenh. l. c. p. 157.

[3]) Orig. ep. ad Ambros. p. 3; cf. Bardenh. l. c. p. 156.

[4]) Redep. I. p. 319; quae singula scripserit Origenes, et quo haec ordine ac tempore scripta sint, bene composuit Redep. I. p. 377, 390, 391, 404, II. 194 sq.; cf. etiam II. 189, 191, 192, 253—255.

in versionibus, debemus praecipue s. Hieronymo et Rufino presbytero. Etsi versiones, ut sine dubio credi potest, plerumque concordant cum originali, tamen Rufini versio malam semper fidem invenit.[1] Librum illum, quem scripsit Origenes de principiis, in quo praecipue doctrina eius speculativa exponitur, soli versioni Rufini debemus, parva tantum huius operis fragmenta graeca in litteris s. Hieronymi et Justiniani imperatoris et in ss. Basilii et Gregoris Nazianzeni philocalia (Ὠριγένους Φιλοκαλία) nobis relicta sunt. Sed quamquam Rufinum non semper verbum e verbo immo ne sensum quidem e sensu vertisse concedimus, versione eius, si totam respicimus, cum fiducia quadam moderata uti possumus.[2] Non minor difficultas ex libro ipso περὶ ἀρχῶν exoritur. Apta in eo non invenitur dispositio; modus

---

[1]) Bardenhewer p. 425, 153.

[2]) Hoc quidem de principiis agens opus usque adhuc credebant plurimi esse primae opus iuventutis; putant tamen nunc auctores hunc librum ab Origene scriptum esse cum iam provectioris esset aetatis; erat enim Origenes, ut putat Thomasius (p. 85) auctoritate Tillemontii usus „mindestens 36 bis 38 Jahre alt," (das Buch ist) „mit jugendlicher Frische und Lebendigkeit geschrieben, spricht die kühne und freie Spekulation weit offener und freier aus als die späteren Schriften. Dennoch finden sich in den spätern Schriften ganz dieselben Ideen und Prinzipien und die nämlichen Irrtümer, und es wird kaum eine Lehre hier vorkommen, die nicht auch in den Kommentaren zum Römerbriefe, zu Matthäus und Celsus wenigstens angedeutet wäre. Auch de princ. ist in seiner jetzigen Form immerfort brauchbar, es drückt allgemein immer den Sinn des Verfassers aus, mit Ausnahme einzelner Stellen." Plane idem putat Redep. I. p. 404, 405. — De vertendi suo modo in praefationibus, quas in libros vertendos Rufinus scripsit, rationem reddit, quem tamen modum non in omnibus servavit. Ceterum multum iniuriae versionibus Rufini inlatum est; in pluribus saltem cum originalis textus sensu concordat versio. Hoc probatur certissime comparationibus, quas fecit Schnitzer (Origenes über die Grundlehren der Glaubenswissenschaft, Wiederherstellungsversuch, Stuttgart, 1835) cum versione et textibus aliis traditis. Ex qua compositione hoc patet: textus Rufini interdum dicit, quae sunt plane contraria textui originali, Schnitzer p. 30, 38, 49, 81, 248 in adnotationibus; sed tamen hac versione bene uti possumus, ibid. p. 41, 44, 65, 78, 197, 238; Rufinus saepe usque ad verbum concordat cum textu originali, ib. p. 193, 198, cf. de Pr. I. 7, 5, III. 1, 20. Etiam s. Hieronymus persaepe in accusationibus contra Origenem, aut saltem in textu interpretando non rectum tenet modum neque semper verum adeptus est autoris sensum. Schnitzer, p. 66, 95, 96; imo saepe versio Rufini melior atque accuratior est quam Hieronymi, ib. p. 92 cet. Versio s. Hieronymi, quae iam Huetii in multis habet vituperationem, vituperatur etiam a Denis, l. c. p. 349, 350; cf. Bigg. l. c. lect. V. p. 175; praecipue Redep. I. p. 399; II. 67, 68, 189, 190. Ubi et quae sint fragmenta ex ibro *II. α.* exstantia, vide in Schnitzer, l. c. Einleitung.

disputandi, quem initio singulorum librorum sibi servandum auctor proponit, non semper servatur, multa saepe repetuntur, multa sunt obscura et confusa. [1]) Sed ne istae quidem difficultates nos deterreant, quo minus hoc libro utamur, et ex eo veram Origenis doctrinam exponere conemur, quod eo securius fiet, quia, ut supra dictum est, in plurimis sibi constat Alexandrinus, et ea, quae docet in libro *περὶ ἀρχῶν*, etiam in aliis scriptis (in quibus ceterum saepe easdem incurrimus difficultates) exposuit. Fieri enim non potest, quin vir, tot scribens libros, multa sibi longe gratissima iterum atque saepius repetat. Quare ne simus nimis timidi praesertim in tractanda ethica; de rebus enim ethicis plerumque satis probata est textus auctoritas, [2]) et repetita earundem tractatione confirmatur. [3])

Quae scripsit Origenes de ethica specialia opera, pauca sunt; edidit libellum de oratione *(περὶ εὐχῆς)* et exhortationem ad martyrium *(εἰς μαρτύριον προτρεπτικὸς λόγος)*. Mirum esse possit, quam parvi interfuerit primis ecclesiae temporibus de rebus moralibus ex professo scribere. Sed saeculo primo et secundo, nisi gentilium et haereticorum impugnatio et utilitas fidelium practica

[1]) Cf. Denis. p. 62: „une oeuvre manquée, profondément obscure et rebutante, bien moins par la difficulté des idées et par la mauvaise traduction qui nous en reste, que par sa diffusion et confusion.“ ib. l. c.: „bien que nous n'ayons le traité des Principes que dans une traduction infidèle, où Rufin de son aveu s'est permis d'ajouter et de retrancher à sa guise, je le prendrai pourtant pour fondement de mon exposition, mais en n'admettant comme doctrine d'Origène que ce qui sera confirmé par des textes originaux, ou par une quantité de témoignages empruntés à ses autres livres.“ Maior est huius scriptoris providentia. Ubi vere non accuratus est Rufinus, ibi adsunt plerumque fragmenta graeca, (cf. Redep. II. 190) et quae docuit Origenes, nunquam fere semel litteris tradita sunt, imo saepe repetuntur.

[2]) Quae interpolavit Rufinus, maxime pertinent ad doctrinam de trinitate et de aliis rebus dogmaticis. cf. Schnitzer, Redep. l. c., Denis l. c. p. 1: „les théories et les idées aventureuses semées a pleines mains dans ce livre *(II. a.)* il (le lecteur) les retrouve dans tous les écrits, qui nous sont parvenus du docteur alexandrin, dans ses homilies adressées à la foule des fidèles, comme dans ses brèves scolies et dans ses vastes commentaires sur l'ancien et le nouveau testament, dans son apologie du christianisme contre Celse, comme dans ses écrits purement exégétiques.“

[3]) Hanc ob rem magnum afferimus citatorum numerum, et quo facilius possint textus graecus et versiones comparari, in dissertatione nostra plurima, atque quoad fieri potest, verbotenus citamus de versionibus latinis, sub linea addentes textum graecum, si exstat.

postulabat, vix inveniebantur, qui de rebus theologicis libros componerent. Clemens Alexandrinus primus est, qui de rebus moralibus doctiori modo et certo scribendi ordine opera concinnavit. Atque magistrum, ut in modo scribendi speculativo-ethico, ita etiam in eligenda scribendi materia Clementem secutus est Origenes discipulus. Errat autem, qui in tot Origenis voluminibus ampliores de doctrina morali expositiones inveniri putat, maxime quod attinet ethicam specialem; ipsis in libris, qui pro fidelium utilitate scripti sunt, et in homiliis pauca invenimus: quaestiones erant dogmaticae et philosophicae, quae eius ingenium et studium plurimum occupabant.[1])

Cum multis suae aetatis viris id quoque habet commune Origenes ut non eundem servet dicendi modum, si concionatur ad populum, et si cum hominibus scientia perfectioribus loquitur. Quo saepe fit, ut, quae dicit et scribit hominibus „simplicibus" et „ignorantibus", cum dogmate catholico consentiant, quae vero de iisdem rebus demonstratione speculativa exponit, cum doctrinae catholicae tum alias dictis contradicant. Ut enim disciplinam arcani [2]) in ecclesia Origenes approbatam et commendatam sciebat, ita et hac dicendi methodo bicipiti uti se posse putabat et debere. „Exteriora" omnes docere, insipientes „interiora" celare, ipsius Salvatoris exemplo probatum esse putabat Origenes.[3]) Hoc si

---

[1]) Denis, p. 263; 281: „Origène ne s'occupe guère de l'homme et de la vie humaine, qu'au regard de certaines questions théologiques qui commençaient à poindre et auxquelles il parût avoir donné le premier quelque importance, et la morale n'occupe pas beaucoup plus de place chez lui que la psychologie. On est même étonné de rencontrer si rarement des observations et des développements moraux dans ses homilies, toutes remplies ou de théologie pure ou d'interprétations allégoriques."

[2]) De disciplina arcani cf. hom. in Num. IV. 3: „si quis sacerdos est, cui sacra vasa i. e. mysteriorum sapientiae secreta commissa sunt, discat ex eis et observet, quomodo haec oporteat inter velamen conscientiae custodire nec facile proferre ad publicum. Aut si res poscit proferre et inferioribus i. e. imperitioribus tradere: ne nuda proferat, ne aperta ostendat et penitus patentia, alioquin homicidium facit, et exterminat plebem;" in Levit. hom. IX. 10: „Novit, qui mysteriis imbutus est, et carnem et sanguinem Verbi Dei. Non ergo immemoremur in his, quae et scientibus nota sunt, et ignorantibus patere non possunt." Ita multis locis obiter et parce agit Origenes, praecipue de eucharistiae et baptismi sacramentis; et de eorum ceremoniis et liturgia nihil fere memorat.

[3]) Multi hoc loci probant: in Levit. h. IV. 4: „Meminisse oportet praecepti Salvatoris, quo dicit, quia nemo mittit vinum novum in utres veteres,

tenemus, patet nobis via in opera Adamantii, et quae in iis sibi contradicere invenimus, expositionibus nostris tantum impedimentum afferre non possunt; facilius enim ea interpretabimur, dummodo, quocum agat et ad quem loquatur, animadvertamus.

Alexandrini systema philosophicum et theologicum magno comparari potest atque sublimi aedificio, cuius etsi partes et ornamenta minutiora discrepant et solvuntur, fundamenta tamen et columnae immobiliter posita sunt. Quaedam enim sunt Origenis principia, ex quibus profluit hypothesium multitudo; axiomata, quibus in omnibus fidem servavit, quamquam in singulis consequentiis sibi non semper constat. Deum omnipotentem esse dicit Origenes; sed quia cogitari non potest omnipotens, qui non habeat, in quos exerceat potestatem, [1]) necesse erat ab aeterno Deum mundum creare. Omnes rationabiles creaturae eodem tempore simul atque eadem perfectione a Deo sunt creatae, nam Deus „aequales creavit omnes ac similes, quos creavit, quippe cum nulla ei causa varietatis ac diversitatis exsisteret.“ [2]) Crea-

---

alioquin et utres rumpentur, et vinum peribit, ostendens, quod animae nondum renovatae, sed in vetustate literae perduranti non oporteat novorum mysteriorum, quae per Christum mundus agnovit, secreta committi.“ Comm. in ep. ad Rom. X. 11: „unde neque aliquis nobis succenseat, si mysteriorum divinorum rationem explanare ad liquidum non valeamus, cum audiat eum, qui nobis haec tradidit, ex parte (Rom. 15, 15) tradidisse;“ tom. in Joan. I. 9; Cels. I. 7: *ἐπὶ τούτοις οὖν, λέγειν κρύφιον εἶναι τὸ δόγμα, πάνυ ἔστιν ἄτοπον· τὸ δ' εἶναί τινα οἷον μετὰ τὰ ἐξωτηρικὰ μὴ εἰς τοὺς πολλοὺς φθάνοντα, οὐ μόνον ἴδιον τοῦ Χριστιανῶν λόγου, ἀλλὰ γὰρ τῶν φιλοσόφων, παρ' οἷς τινες μὲν ἦσαν ἐξωτερικοὶ λόγοι, ἕτεροὶ δὲ ἐσωτερικοὶ.* ibid. III. 52: *ἡμεῖς γὰρ ὅση δύναμις, πάντα πράττομεν ὑπὲρ τοῦ φρονίμων ἀνθρώπων γενέσθαι τὸν σύλλογον ἡμῶν· καὶ τὰ ἐν ἡμῖν μάλιστα καλὰ καὶ θεῖα τότε τολμῶμεν ἐν τοῖς πρὸς τὸ κοινὸν διαλόγοις φέρειν εἰς μέσον, ὅτ' εὐποροῦμεν συνετῶν ἀκροατῶν. ἀποκρύπτομεν δὲ καὶ παρασιωπῶμεν τὰ βαθύτερα, ἐὰν ἁπλουστέρους θεωρῶμεν τοὺς συνερχομένους καὶ δεομένους λόγων τροπικῶς ὀνομαζομένων γάλα.* Origenis haec distinctio inter modum loquendi esotericum et exotericum quanti sit momenti, videbis, ubi agemus de aeternitate beatitudinis et poenarum, quare duplicem hunc scribendi modum non agnoscens, nihil profecit in defensione Origenis Vincenzi. In s. Greg. Nyss. et Origenis scripta et doctrinam nova recensio. Romae 1864.

[1]) Princ. I. 2. 10.

[2]) Pr. II. 9. 6; I. 8. 2: „de his, qui naturas esse spiritales diversas affirmant, aliquid dicamus, ne forte incurramus in illas ineptas atque impias fabulas eorum, qui naturas spiritales diversas, et ob hoc a diversis conditoribus institutas, tam in coelestibus, quam etiam inter animas hominum fingunt; dum et uni eidemque conditori diversas naturas rationabilium creaturarum

turae autem, cum essent omnes bonae et praeclare a creatore exornatae, illam sublimitatem et unitatem, qua constituti erant, non servaverunt. In solo enim Deo bonitas „substantialiter" inest, „ceteri vero accidentem eam ac decidentem habent," [1]) itaque rationabiles creaturae magnam illam perfectionem et beatitudinem, qua non solum de Dei sanctitate ac sapientia, sed „et de ipsa divinitate" participium habebant, [2]) non servantes ob peccatum originalem suam amiserunt dignitatem. Poterant autem decidere, quia habebant arbitrii libertatem, quae nunquam amitti potest, ut saepe repetit Adamantius. Peccabant igitur et decidebant ab essentiali bono, sc. Deo, alter magis, alter minus, sed unusquisque eorum a iusto Deo dignam peccati poenam accepit. Missi sunt in corpora et facti sunt aut daemones, aut homines, aut angeli, ita tamen, ut, in quo horum generum ordine numeraretur, unusquisque sibi ipsi meruerit. Ne quis putarit sine causa alios angelos fieri, vel thronos, vel dominationes, alios homines, vel daemones, variam retinentes perfectionem: iustum Deus omnibus tribuit meritum, vel poenam iustam. [3]) Quia in systemate Origenis tantum momenti attribuitur libero rationabilium creaturarum arbitrio, similis est error in Origene atque in Stoicis; dicebant enim Stoici mundum igni crematum iri, et novos semper orituros mundos; ita etiam philosophus noster iteratam contendit et continuatam semper mundi destructionem et reproductionem. [4]) Ut ex conceptu Dei omnipotentis et iusti concludebat mundum esse aeternum, omnesque spiritus prorsus aequales procreatos, ita ex rationabilium arbitrio libero sequi putabat Origenes, eos posse etiam post mortem, et in mundis semper iteratis, ex alio in alium ordinem transgredi, ita ut statum, quem termini vocamus, plane negaret; homines ergo „per profectum etiam in illum angelorum ordinem" assumi possunt, similiter et daemones. [5]) Ita etiam „non cursu aliquo in eosdem se circulos post multa saecula revolvente aguntur animae, ut hoc aut illud vel agant, vel cu-

---

ascribi videtur absurdum, sicut vere absurdum est, et causam tamen eius diversitatis ignorant."

[1]) Cf. infra de notione boni.

[2]) Ibid. p. 39 sq.

[3]) Pr. I. 5. 3; 8. 4.

[4]) Pr. I. 6. 3.

[5]) Pr. I. 8. 4.

piant, sed quocumque proprii ingenii libertas intenderit, illo gestorum suorum dirigunt cursum"; hanc ob rem in saeculis futuris „impossibile videtur eodem ordine, eisdemque modis nascentium et morientium et agentium quid secundo mundum posse reparari, sed immutationibus non minimis diversos posse mundos exsistere, ita ut pro manifestis quibusque causis melior status sit alterius mundi, et pro aliis inferior et pro aliis medius quidem status." [1]) Quo in saeculo nos sumus, in eo Christus homo factus est et redemptionis suae fructus cum omnibus communicavit. [2]) Hoc quidem loco gravissimi concurrunt Alexandrini errores. Docet enim apertissime non esse statum termini, sed in mundis semper iterandis mutari etiam semper sortem creaturarum rationabilium, et tamen non minus aperte contendit scriptor omnes spiritus aliquando reversuros ad finem ultimum, ad eam sc. unitatem et perfectionem, qua initio apud Deum in coelis fuerint. Satis certe consequenter singulae hae doctrinae ex primis Origenis principiis deducuntur, itaque in principiis ipsis omnium talium errorum quaerenda est origo. Omnes ergo rationabiles creaturae naturalibus motibus ad unum illum finem, quem amiserunt, recuperandum tendunt, omnesque aliquando, etiam damnati et ipse diabolus (etsi multis saeculis intercedentibus) ad unitatem et beatitudinem pristinam redibunt; sed tota haec redemptio nihil aliud erit, nisi restitutio in statum illum, quo spiritus omnes ante huius mundi constitutionem apud Deum erant. [3])

Haec, quae diximus, in exponenda Origenis ethica omitti non possunt. Plurima certe, quae de ethica Origenis nobis di-

---

[1]) Pr. II. 3. 4, ib. l. c. II. 3. 5: „qui autem numerus vel modus hic sit, ego me nescire fateor. Si quis autem posset ostendere, libenter discerem."

[2]) „Docet autem s. apostolus, quod Christus in saeculo, quod ante hoc fuit, non est passus, sed ne in illo quidem, quod ante ipsum fuit, et nescio, si enumerare sufficiam, quanta fuerint anteriora saecula, in quibus passus non est . . . post hoc saeculum, (quo nos sumus) quod ad consummationem aliorum saeculorum dicitur factum, erunt alia saecula supervenientia." Pr. II. 3. 5. Nusquam dicit Origenes Christum in futuris saeculis passurum esse, imo plane hoc negat, Com. in ep. ad Rom. V. 10: „si enim iterum moreretur, ita sine dubio consequens videbatur, ut si post resurrectionem et vitam iterum moreretur, etiam hi, qui convivent ei, iterum morienti commorerentur. Idcirco igitur absoluta sententia definit apostolus, quod Christus iam non moritur."

[3]) Cf. Redep. II. p. 399.

cenda erunt, sunt magna et sublimia, imo multa talia inveniuntur, quae satis digna videntur nostrorum temporum doctoribus. Atque tamen haec omnia tam bene, tam pulchre dicta, haudquaquam neglectis illis generalibus principiis exponi debent, quia ita non haberemus integrum Adamantii systema ethicum. Ut enim eius principia nobis se praebent radices, ex quibus progressa sunt singula, ita etiam ea, quae singillatim dicta sunt, magnam per illa recipiunt immutationem. [1])

Ethicam, quamquam de ea non ita multa scripsit, tamen magni aestimabat Origenes; et quantum illa habuerit momenti in eius studiis, clarissime ex apologia s. Gregoris Thaumaturgi apparet. [2]) Est autem ethica, uti docet Adamantius, pars philosophiae universalis. Per philosophiam homo tendit ad agnitionem et scientiam rerum, itaque secundum modum et obiectum huius scientiae noscuntur etiam partes philosophiae omnes. Sunt autem tres generales disciplinae, quibus ad rerum scientiam pervenitur, quas Graeci ethicam, physicam, theoricen appellabant, quasque Origenes moralem, naturalem, inspectivam vocat disciplinam. [3]) „Moralis au-

---

[1]) Hoc probat etiam id, quod scripsit Vincenzi. Si neglectis Adamantii ipsius operibus perlegeris, quae scripsit Vincenzi, certe orthodoxam in omnibus esse doctrinam Origenis invenies, si tamen, quae supra exposita sunt, noveris, irrita tibi videtur tota defensio.

[2]) *εἰς Ὠριγένην προσφωνητικὸς καὶ πανηγυρικὸς λόγος.* c. VII—XV, praecipue c. IX. cf. Bardenh. l. c. p. 151. Orig. c. Cels. I. 18.

[3]) Sunt quidam ex Graecis, qui etiam logicen i. e. rationalem his adiungant; „est autem logices vel rationalis, quae verborum dictorumque videtur continere rationes, proprietatesque et improprietates, generaque et species et figuras singulorum quoque edocere dictorum.“ Hanc autem disciplinam magis aliis adiungi, quam ab iis separari oportet. Prol. in cant. cant. — In describenda philosophia, exponendo eius valore cet. Clementem omnino sequitur Origenes. Dicebat Clemens philosophiam hominibus, praecipue gentibus, quae legem et revelationem positivam non haberent, datam esse a Deo, ut cognoscendae plenae Evangelii veritatis capaces reddantur: *τὴν φιλοσοφίαν Ἕλλησιν οἷον διαθήκην δεδόσθαι.* Strom. VI. p. 773. Praeter multorum doctrinam, qui philosophiam esse opus diaboli dicebant, tres alias novit Clemens de origine philosophiae opiniones, sc. philosophos casu et fortuito nonnullis in rebus verum dixisse; vel quae haberent, eos ab Hebraeis aut ab angelis — sive bonis, sive malis, — accepisse. (Strom. I. p. 366.) Contra hos omnes hoc statuit Clemens primum principium, uti fecerat iam Justinus martyr Apol. II. 8. 10.), omnia, quae essent vera in philosophia Graeca, provenire a Christo vel Logo (Cohortatio p. 59, 64). Unam porro esse veritatem (Strom. I. p. 335, 376) cumque omnis veritas a Deo ortum ducat, (ibid. p. 331) omnia philosophorum systemata recte composita ac digesta totam continere veritatem

tem disciplina dicitur, per quam mos vivendi honestus aptatur, et instituta ad virtutem tendentia praeparantur. Naturalis est ea, ubi unius cuiusque rei natura discutitur, quo nihil contra naturam geratur in vita, sed unumquodque his usibus deputatur, in quos a creatore productum est. Inspectiva dicitur, qua supergressi visibilia, de divinis aliquid et coelestibus contemplamur, eaque sola mente intuemur, quoniam corporeum supergrediuntur aspectum.“ [1]) Has tenens Origenes singularum disciplinarum definitiones, quas quidem Graecos ex libris Salomonis nosse putat, nequaquam, ut ipse pluries fatetur, disciplinam summam habet ethicam, imo eam primam esse, per quam ad alias atque summam inspectivam perveniatur. „Praemissis namque his, quibus purificatur anima per actus et mores, et in rerum discretionem naturalium perducitur, competenter ad dogmata venitur et ad mystica atque ad divinitatis contemplationem sincero et spiritali amore conscenditur.“ [2]) Sed tamen „disciplinae morales, vitam

---

(ib. p. 349; cf. V. p. 708). Philosophia, cum tanti aestimetur a Clemente, cumque philosophi multi magnam operam dederint, ut veritatem cognoscerent, tamen multo inferiorem esse docet eam Clemens, quam doctrinam christianam. Multo enim melior ac superior est christiana doctrina *μεγέθει γνώσεως καὶ ἀποδείξει κυριωτέρᾳ, καὶ θείᾳ δυνάμει, καὶ τοῖς ὁμοίοις* (Strom. p. 376). Venerantur philosophi Deum quidem eundem, quem veneratur catholica ecclesia, sed non *κατ᾽ ἐπίγνωσιν παντελῆ* (Strom. VI. p. 760) et *οὐ κατὰ τὴν γνῶσιν τὴν τελείαν*, uti faciunt christiani (ib. p. 817). Sed nihilominus, quamvis multis singulorum philosophorum erroribus abundet philosophia, tamen vere est schola praeparans ad Evangelium Christi. Vituperatione dignam invenit Clemens philosophiam Epicuri *(κατάρχων ἀθεότητος)* et Sophistarum. cf. Redep. I. 139—146; 437—442. Haec Clementis principia omnino sunt Origenis. Reicit Origenes Epicuri et atheorum doctrinam et maxime Platonem et Numenium laudat; cetera suis locis exponemus. Vera hac in re est sententia Redep. I. 331: Non cognoverunt Clemens et Origenes „den innern, wesentlichen Unterschied zwischen Christentum und Philosophie, indem er (puta utrumque) hier nur einzelnes gegen einzelnes abzählt, ohne die Verschiedenheit der Principe hervorzuheben. Ihn entschuldigt, daß damals die Lehrsysteme, auch die, welche längst in einer gewissen Abgeschlossenheit vorlagen, immer nur stückweise aufgefaßt wurden, wie daß eine tiefere christliche Lehrentwicklung kaum erst begonnen hatte. Und ganz verkennt doch Origenes nicht die Verschiedenheit zwischen der christlichen Lehre und der Philosophie“ cet. Cf. etiam Redep. I. 326—331.

[1]) Prol. in cant. cant. M. 13. p. 75. G.

[2]) Ibid. l. c. p. 76. D; hoc loco etiam dicit Origenes, si quis prius mores emendaverit seque in observandis legibus exercuerit huiusque mundi res cognoverit: „consequenter veniet etiam ad contemplanda et desideranda ea, quae non videntur, et aeterna sunt.“ cf. ib. p. 76. A. Novit etiam aliam

acquirunt, eas addiscenti atque operanti." et hanc ob rem ethica merito „panis vitae" appellari potest.[1])

Est ergo philosophia res summi momenti, et plurimum in utilitatem generis humani prodest, eaque, si ordo noster hic, quo vivimus, non excederet naturalem rationem, plane sufficeret, qua edoceamur atque teneamur in via vitae moralis, secundum leges et facultates naturae humanae ordinatae. Cum autem Origenes humanum genus in statu vires naturae superante constitutum atque revelatione etiam supernaturali edoctum sciat, philosophia minime sufficit, qua cognoscantur omnia, quae ad vitam christiani pertineant. Sequitur, ut, sicut aliae philosophiae partes, ita etiam ethica augenda et amplianda sit secundum ea, quae fides nostra de rebus moralibus doceat. Huc ergo spectant omnia, quae ex revelatione tantum divina et supernaturali didicimus; praecipue autem hic adiungenda est doctrina christiana „de Deo, i. e. de Patre, et Filio et Spiritu sancto"; „de sacramentis Filii Dei, quomodo Verbum caro factum sit, et qua de causa usque ad formam servi percipiendam venerit", „de creaturis rationalibus, tam coelestibus, quam terrenis beatioribus"; adiungamus etiam oportet „differentiam animarum, et unde istae differentiae ortae sint", „quid sit hic mundus, et quare factus, sed et unde malitia tanta ac talis super terras, quae utrum in terris sit tantummodo, an et in aliis aliquibus locis." Haec enim omnia „ex divinis nos sermonibus discere necessarium fuit".[2])

---

philosophiae divisionem Origenes huic tamen similem; dicit enim Abimelech eiusque duos filios esse imaginem philosophiae, „qui tres, ut arbitror, imaginem totius philosophiae tenent, quae apud eos in tres partes dividitur: logicam, physicam, ethicam, i. e. rationalem illam, quae Deum patrem omnium confitetur: naturalem, quae fixa est, et tenet omnia, velut naturae ipsius viribus nitens; moralem, quae in ore est omnium, et ad omnes pertinet, et pro communi similitudine praeceptorum in omnium ore versatur. Hi ergo omnes in huiuscemodi eruditionibus instituti veniunt ad legem Dei." H. in Gen. XIV. 3; item h. in Exod. III. 3. loquitur Origenes de rationali, naturali, morali sapientia.

[1]) *τὰ ἠθικὰ μαθήματα ζωὴν περιποιοῦντα τῷ μανθάνοντι καὶ πράττοντι ἄρτος ἐστὶ τῆς ζωῆς.* Com. in Joan. tom. I. 33; cf. Cels. III. 67, 68.

[2]) Princ. IV. 14. versio Rufini hoc loco plane cum fragm. text. graec. concordat. Sacra nos scriptura de omnibus his rebus vere paedagogice edocet, ut ib. l. c. exponit auctor. — Mundus a. Chr. n. „diversis philosophorum dogmatibus et eminentissimis assertionibus ac disputationibus velut proceris quibusdam et robustis turribus firmabatur. Veniens vero D. N. J. Chr. mittit

Verum quidem est multos philosophos enixe operam dedisse, ut maiorem de mundo, creaturis, ipso Deo scientiam sibi acquirerent, eosque saepe virtutibus cognoscendis et exercendis diligentissime studuisse, attamen mens humana perfectiorem et certiorem cognitionem desiderat: cum vero ipsa sit erroribus et deceptionibus obnoxia, factum est, ut ipsi optimi philosophorum de rebus divinis, de Deo colendo, de ceteris vitae moralis regulis habuerint absurdissimas opiniones. [1]) Quamvis ergo admiremur doctrinam

---

sacerdotes apostolos suos portantes praedicationis magnificam coelestemque doctrinam." h. in Jes. Nav. VII. 2. Studiosi ac sapientes huius saeculi per eruditionem philosophiae multa etiam ex veritate comprehenderunt; „philosophia enim neque in omnibus legi Dei contraria est, neque in omnibus consona. Multi enim philosophorum unum esse Deum, qui cuncta creaverit, scribunt. In hoc consentiunt legi Dei. Aliquanti etiam hoc addiderunt, quod Deus cuncta per Verbum suum et fecerit et regat, et Verbum Dei sit, quo cuncta moderentur. In hoc non solum legi, sed etiam Evangelio consona scribunt. Moralis vero et physica, quae dicitur philosophia, pene omnia, quae nostra sunt, sentiunt. Dissident vero a nobis, cum Deo dicunt esse materiam coaeternam. Dissident, cum negant Deum curare mortalia, sed providentiam eius super lunaris globi spatia cohiberi. Dissident a nobis, cum vitas nascentium ex stellarum cursibus pendunt. Dissident, cum sempiternum dicunt hunc mundum et nullo fine claudendum. Sed et alia plurima sunt, in quibus nobiscum, vel dissident, vel concordant." h. in Gen. XIV. 3. — Spectant „haec, quamvis ad omnes homines, quibus inest ratio naturalis, maxime tamen ad sapientes huius mundi, et eos, qui philosophi nominantur, quibus praecipue creaturas mundi et omnia, quae in eo facta sunt, discutere disciplina est, et per haec, quae videntur, ea, quae non videntur, ratione colligere . . . Virtus ergo Dei, quae sempiterna est, et divinitas, quae nihilominus sempiterna est, ex coniecturis agnoscitur creaturae. Virtus est, qua regit omnia, divinitas, qua replet universa. Ex hoc ergo inexcusabiles fiunt, quia cum manifestante Deo cognoverint Deum, non, ut dignum est, coluerunt, aut gratias egerunt, sed per cogitationum suarum vanitatem, dum formas et imagines requirunt in Deo, in semetipsis Dei imaginem perdiderunt, et qui iactare se in luce sapientiae videbantur, in profundas stultitiae tenebras devoluti sunt." Com. in ep. ad Rom. I. 17.

[1]) „Sapientes saeculi, qui philosophiae operam dantes, licet non integram et perfectam regulam pietatis attigerint, tamen senserunt Deum patrem et regem esse omnium, i. e. qui genuerit et regat universa. Isti ergo, quantum ad ethicam, i. e. moralem philosophiam spectat, etiam puritati cordis operam dedisse aliquatenus comprobantur, et omni animo omnique studio divinae virtutis inspirationem quaesisse. Sed hanc non permisit Deus contingere eos." h. in Gen. VII. 2; cf. Cels. IV. 30; in Levit. h. VII. 6: „multi philosophi et futurum esse iudicium credunt, immortalem namque animam sentiunt, et remunerationem bonis quibusque positam confitentur." Multos dicit Origenes esse in philosophis turpissimos errores, multasque haereses, attamen hanc ob rem non esse negligendam philosophiam. cf. Cels. III. 49, 50.

philosophiae, tamen augenda et corrigenda est ethica rationalis ex iis, quas de vita honeste agenda fides nostra revelationes praebet.

Ethica ergo cum sit disciplina, „per quam honestas aptetur vivendi et agendi mos", quaeque det „eam amplectentibus instituta ad virtutem tendentia", quo melius, quae docet, comprehendamus, antea de natura hominis agemus, quoniam actus hominis agentis ex natura hominis facillime comprehenduntur.

---

ibid. 58: philosophia *ἀναβιβάσει ἐπὶ τὸ σεμνὸν παὶ ὑψηλὸν τῆς λεληθυίας τοὺς πολλοὺς χριστιανῶν μεγαλοφωνίας περὶ τῶν μεγίστων καὶ ἀναγκαιοτάτων διαλαμβανόντων καὶ ἀποδεικνύντων καὶ παριστάντων, αὐτὰ πεφιλοσοφῆσθαι παρὰ τοῖς τοῦ Θεοῦ προφήταις καὶ τοῖς τοῦ Ἰησοῦ ἀποστόλοις.*

I. De hominis natura.

Homo est „animal rationale“, [1]) atque secundum suam naturam omnium, quae sunt rationabilia, ultimum.[2]) Cum autem multi angelorum propter peccatum in infernum missi sint, homines inter angelos et daemones, inter bonas ergo et malas naturas, medii quidam (*ἐν μέσῳ*) sunt; suntque, adhuc in mundo positi, in agone (*ἐν ἀγῶνι*) et certamine,[3]) ut, si vincant, fiant angelis, si peccent, daemonibus similes.

Constat homo ex corpore et anima;[4]) corpus quidem ex materia constat et est corruptibile,[5]) anima autem, per quam vivificatur corpus,[6]) incorruptibilis est et immortalis. Corpus et anima, dum coniuncta sunt, unus sunt homo, fiuntque unum principium actionum hominis. Corpus, et quos habet sensus, organum sunt et instrumentum, quibus utitur anima. Nihil est mali corpus cum viribus suis, attamen, ut pars inferior, animae,

---

[1]) Pr. I. 5. 2: *λογικὸν ζῶον*. ibid. III. 1. 3. fragm. gr. Sic etiam a multis patribus et philosophis nominatur homo. Marc. Aurel., Seneca, (Ps.-)Justin. de Resur. 8; Tertull. adv. Prax. 5. Irenaeus adv. haer. V, 3. 2; Gregor. Nyssenus acriter defendit dignitatem hominis, qua a natura brutorum differat, et bene ex linguae et rationis usu hominem esse *λογικὸν ζῶον* ostendit. Cf. Hilt, des hl. Gregor von Nyssa Lehre vom Menschen. Köln 1890. cap. II.

[2]) *ἔσχατον λογικὸν τάχα οὐκ ἄλλο τι τοῦ ἀνθρώπου τυγχάνον.* Com. in Joan. tom. I. 34.

[3]) Pr. I. 5. 1; expos. in proverb, I. 11.

[4]) „Nos homines animal sumus compositum ex corporis animaeque concursu.“ Pr. I. 1. 6.

[5]) „Substantia corporis permutabilis, et ex omni in omnem devenit qualitatem.“ Pr. IV. 33.

[6]) „Corpora secundum propriam quidem naturam mortua sunt, et penitus exanima, quia ex nobis, i. e. ex animabus corpus materiale vivificatur.“ Pr. III. 4. 1. — *ζωτικὴ δύναμις*, vel *τὸ σῶμα ζωοποιοῦσα* anima vocatur a Gregor. Nyss. cf. Hilt. l. c. p. 35, 36.

ut potiori et principali, debet obedire. In corpore sunt quinque sensus, per quos ad cognitionem rerum, quae extra nos sunt, pervenimus. [1]) Etiam, qui sunt in corpore motus et appetitus, boni sunt, ut appetitus edendi et bibendi; ipse „motus, qui adultae aetati naturaliter suggeritur, i. e. appetendi coitus desiderium", omnino bonus est, etsi multi homines eo abutuntur. [2])

Quod amplius ad naturam corporis nostri attinet, omnia dicit Origenes „corpora humana compacta" ex quatuor iis elementis, ex quibus omnes aliae res constant, sc. ex terra, aqua, aëre, igne. „Terram in carnibus, aërem in halitu, aquam in humore, ignem in calore intelligi. Cum ergo anima caducum hoc frigidumque corpusculum Dei iussione dimiserit, paulatim omnia redire ad matrices substantias: carnes in terram relabi, halitum in aëre misceri, humorem reverti ad abyssos, calorem ad aethera subvolare." [3]) Praeter haec quatuor elementa quintum aliquod etiam est in corpore humano: „insita ratio, quae substantiam continet corporalem", quae manet „semper in substantia corporis, quamvis emortua fuerint corpora et corrupta, atque dispersa, verbo Dei tamen salva." [4]) Haec ratio insita continens corporalem substantiam, ab Origene, qui hac in re eadem, quae Stoici, docet, *λόγος σπερματικός*, *λόγος σπέρματος*, [5]) *σπερματισμός*, [6]) *ὁ λόγος ὁ περὶ ἑκάστου*, [7]) vocatur, et ipsa est, quae propriam formam

---

[1]) H. in Jes. Nav. XI. 4; XI. 5; excerpt. in Psalm. XXXVI. vers. 4; Princ. I. 1. 7: „visui subiacent colores, habitus, magnitudo; auditui voces et sonus; odoratui nidores, boni vel mali odores; gustui sapores; tactui vel calida vel frigida, dura vel mollia, aspera vel laevia."

[2]) Pr. III. 2. 2; ibid. l. c.: „quam ob causam non utique semper a diabolo moveri (appetitum eiusmodi) certum est, ita ut putandum sit, quia, si diabolus non esset, huiusmodi admixtionis desiderium corpora non haberent;" (alius in hac re est sententiae Gregor. Nyss. cf. Hilt. p. 93.) Ita etiam appetitus edendi vel bibendi non a diabolo movetur, sed „naturali quodam instinctu." Ib. l. c. Omnes quidem hi appetitus per se boni sunt, sed „initia quaedam et velut semina peccatorum ab his rebus, quae in usu naturaliter habentur, accipimus. Cum vero indulserimus ultra quam satis est, et non restiterimus adversus primae intemperantiae motus, tunc primi huius delicti accipiens locum virtus inimica instigat et perurget." Pr. III. 2. 2. Cf. contra haec h. in Cant. II. n. 17, ubi ille coeundi appetitus inhonestus nominatur; item de orat. 1. n. 198.

[3]) Fragm. ex. lib. II. de resurr. M. P. G. XI. p. 98. B.

[4]) Cf. Pr. II. 1. 4; 2. 2; fragm. ex lib. II. de res. M. l. c. p. 93, 94, 97.

[5]) Tom. in Joan. XX. 2, 3, 5.

[6]) Fragm. ex lib. II. de res. l. c.

[7]) Tom. in Joan. XIII. 42. „Dieses Geistige, Formgebende in den Kör-

det corporibus. Certum est sextum aliud insuper ascribi ab Origene corporibus nostris. In corpore nostro numquam materia eadem manet, „numquam unum, idemque." „Unde non male fluvius quidam corpus esse dicitur, quoniam si accurate consideremus, ne biduo quidem prior materia in corporibus nostris eadem constansque perseverat: cum interim Paulus e. g. vel Petrus idem nihilo minus persistat, non modo si eius animam spectas, cuius substantia neque fluxa est in nobis, neque quidquam extrinsecus invectum accipit; sed ob id praeterea, quod tametsi velut in perpetua fluxione sit natura corporis, eadem forma permaneat, quae corporis nostri, quasi nota quaedam est propria. Non aliter atque eaedem figurae manent, quae Petri Paulique corporum qualitatem confirmando exhibent; per quam qualitatem etiam accidit, ut et cicatrices iam tum a pueris in corporibus permaneant, aliaque nonnulla, quae singulorum propria sunt, cuiusmodi sunt lentigines." [1])

---

pern, die Keimkraft ihres vegetierenden Lebens, . . welches für die stoische Lehre so charakteristisch ist, als für die platotonische der Begriff der Idee, und für die aristotelische der der Entelechie." Ritter, Gesch. der christl. Philosophie. I. p. 550. cf. Redep. II. p. 20; ib. adnot. 3: „Auch Justin hat diesen *σπερματικὸς λόγος* aus der Stoa entnommen." Errat certe Brück, Lehrbuch der Kirchengeschichte, Mainz 1890, si dicit p. 78: „Die Erkenntnis der Wahrheit im Heidentume ist nach ihm (Justin) eine Wirkung des *λόγος σπερματικός*, der auch die heidnischen Philosophen erleuchtet habe"; item Kraus-Alzog. l. c. I. p. 245. Distinguendum enim est inter *λόγος* et *λ. σπερματικός*, ut supra patebit.

[1]) *διόπερ οὐ κακῶς ποταμὸς ὠνόμασται τὸ σῶμα . . . οὐδὲ δύο ἡμερῶν τὸ ‚πρῶτον ὑποκείμενον' ταὐτόν ἐστιν ἐν τῷ σώματι ἡμῶν . . κἂν ῥευστὴ ἦν ἡ φύσις τοῦ σώματος, τῷ τὸ εἶδος τὸ χαρακτηρίζον τὸ σῶμα ταὐτὸν εἶναι· ὡς καὶ τοὺς τύπους μένειν τοὺς αὐτούς, εἰς τὴν ποιότητα Πέτρου καὶ Παύλου τὴν σωματικὴν παριστάνοντες. καθ' ἣν ποιότητα καὶ οὐλαὶ ἐκ παίδων παραμένουσι τοῖς σώμασι καὶ ἄλλα τινὰ ἰδιώματα.* Sel. in Ps. I. vers. 5. M. l. c. 12. p. 1093. — Quamquam proprie nostrum non est, tamen hoc loco brevi conemur sermone exponere, quae de corporum resurrectione Origenes docet, quia, quae supra de natura hominis dicta sunt, per haec melius cognoscuntur. Corpora nostra resurgere posse, ex eo sequitur in Origenis doctrina, quod habemus rationem illam insitam, quam *λόγον σπερματικὸν* vocat. Haec enim ratio semper est in corpore, corporalem continet substantiam, semper eadem manet, integra atque incorrupta (cf. quae supra citavimus; praeterea fragm. De res. M, l. c. p. 97. 98; Princ. II. 10. 3) „in ratione humanorum corporum manent quaedam surgendi antiqua principia, et quasi *ἐντεριώνη* i. e. seminarium mortuorum sinu terrae confovetur. Cum autem iudicii dies advenerit, . . movebuntur statim semina et in puncto horae mortuos germinabunt, non tamen easdem carnes, nec in his formis restituent, quae fuerunt." Fragm. d. res. l. c. cf. Cels. V. 23; VII. 32. Ita cum dicat philosophus

Haec Adamantii doctrina de natura corporis locum praestat nonnullis difficultatibus. Cum enim, quod docet Origenes, animae vel spiritus propter peccatum ante huius mundi constitutionem commissum missi sint in corpora, sequitur, ut coniunctio animae humanae cum corpore non proprie essentialis sit, sed accidentalis tantum, eo quod, si animae non peccavissent, nunquam corpus assumpsissent.[1] Homo ergo verus et proprius in doctrina Origenis est spiritus a Deo creatus lapsusque in corpus missus. Quare multi optimo iure Origeni crimini dederunt, quod his principiis instans corpus inter et animam relationem non recte

---

noster fieri resurrectionem, identitas quidem servatur inter corpus terrestre et resurrectionis, sed haec identitas materialis non esse potest sensu stricto, quia non erit eadem materia tunc, quae est nunc; identitas tamen in tantum adest, quantum ratio insita corpori semper eadem manet. Sed hoc etiam ad integritatem et perfectam identitatem Adamantio sufficere videtur, quoniam, ut ipse dicit, ne duos quidem dies eadem est corporis nostri materia. cf. Ramers, des Origenes Lehre von der Auferstehung des Fleisches, Trier 1851; Atzberger, Geschichte der christl. Eschatologie innerhalb der vornizänisehen Zeit, Freiburg 1896, p. 437; ibid. p. 436: „Die Art und Weise wie er (Orig.) namentlich die stoische Lehre vom *λόγος σπερματικὸς* zur Erklärung der Auferstehung verwendet, giebt zu verschiedenen Fragen Anlaß. Ist jener Logos materiell oder geistig aufzufassen? Wie verhält er sich zur Körpersubstanz und zur charakteristischen Form des Körpers? Wo bleibt und wirkt er in der Zwischenzeit bis zur Auferstehung? Wie verhält er sich zum Geiste oder zur Seele des Menschen. Auf keine dieser Fragen giebt Orig. eine direkte Antwort. Doch . . zunächst scheint es zweifellos, daß Orig. unter dem *λόγ. σπερμ.* nicht etwas Materielles, sondern etwas Geistiges sich gedacht hat. Als geistiges Prinzip hält er die Körpersubstanz zusammen. Aber was ist unter Körpersubstanz zu verstehen? In der Materie des Körpers kann sie nicht bestehen, da ja diese beim Tode zur Urmaterie zurückkehrt, sondern nur wiederum in gewissen Eigentümlichkeiten oder Formen der Materie, wodurch sich die einzelnen Körper, obwohl aus einer und derselben Materie gebildet, von einander unterscheiden. So scheint es, als ob die Körpersubstanz ein zweites immaterielles Prinzip neben dem *λόγ. σπ.* wäre. Dazu könnte man als drittes immaterielles Prinzip die den Körper charakterisierende Form zählen, welche wohl nichts anderes ist, als der jedem Menschen eigentümliche äußere Typus, der ihn als diesen Menschen kenntlich macht. Mag dem indessen sein, wie immer, sicher ist wiederum, daß nach Orig. der *λόγ. σπ.* und die Körpersubstanz (sowie der individuelle Typus) keineswegs identisch sind mit der Seele oder dem Geiste des Menschen, sowie daß sie mit dem letztern auch nicht wie mit ihrem hypostatischen Träger innerlich und wesentlich verbunden sind. Wie und wodurch sie aber nach der Trennung von Leib und Seele beim Tode fortexistieren können, wird von Orig. nicht weiter untersucht."

[1]) Ita Plato contendebat hominem constare ex corpore et anima, sed animam proprie hominem esse, quae corpore tantum utatur *(τὸ τῷ σώματι χρώμενον)*; cf. Tim. 90. Postea Cartesius similem habebat errorem.

aestimare possit, item orthodoxa eius doctrina de resurrectione non esse possit, imo in systemate eius resurrectioni corporum locus dari non debeat. Ne tamen obliviscamur, quod iam memoravimus, Adamantium ex principiis doctrinae suae non semper deducere conclusiones stricte logicas, nosque interdum melius quam auctorem ipsum summam doctrinae eius perspicere et errores et sophismata invenire, ubi ille putat se logices regulas sequi. Altera autem ex parte tanta est Adamantii pia religio, ut credat, omnia, quae ipse doceat, contineri in s. scriptura atque hanc ob rem nihil profert, quod non ex multis sacrae scripturae testimoniis „probare“ possit. Hoc certe magni aestimandum est in Alexandrino, quod omnia sua dogmata cum doctrina christiana conciliare studet, et multis locis se nihil dicit velle docere, quod contrarium sit catholicae fidei. De resurrectione sciebat Origenes s. libros aperte loqui, et ideo ipse etiam resurrectionem corporum docebat, quamquam hanc doctrinam consequenter neglegere poterat et debebat. Atque Origenis de resurrectione doctrina, ita spectata, non tantum erronea non est, imo multa continet, quae vere sunt pulchra et catholico dogmati consona. Et eodem modo contigit ei, ut relationem inter corpus et animam existentem non omnino inimicam esse dicat; imo, si principia eius mittimus, dicere possumus hac in re eum plane consentire cum vera et christiana philosophia, atque pulcherrime harmoniam inter corpus et animam describere. [1])

---

[1]) Aliis et rectioribus nisus principiis Clem. Alex., qui animarum praeexistentiam non admittebat, ad eandem pervenit doctrinam; est enim, ut de eo dicit Redep. I. p. 127: „Die Vereinigung des Geistes mit dem Körper, wie dieser auch bisweilen uns drücken mag, dennoch kein Übel, vielmehr ein herrliches Werk der göttlichen Allmacht. Nur in einem Körper, durch den der Geist allein sich zu äußern, zu handeln imstande ist, kann derselbe seine volle Bestimmung erreichen: Leiblichkeit ist die Vollendung, nicht eine Einkerkerung des Geistes.“ Clemens acriter Gnosticorum, Pythagoraerum, Platonicorum de corpore doctrinam refutat (Strom. III. p. 516, 518). Potissimum tamen Neoplatonici erant, qui dignitatem corporis non agnoscebant, idque nominabant *χιτὼν δερματικός, παχὺς; γεῶδες, ὀστρεώδες περίβλημα; γηϊνὸν κέλυφος.* Synesius, de insomn. 137, 140. Plato dicebat corpus esse *δεσμὸν σαρκικὸν*, Tatian. adv. Graec. 15: *δεσμὸς σαρκὸς ψυχή, σχετικὴ δὲ τῆς ψυχῆς ἡ σάρξ.* cf. Redep. I. p. 205. adn. 2. In Plotini et Stoicorum doctrina melius erat mori, quam esse in corpore, quare Stoici omnes suicidium licere dicebant, quod Origenes negabat: Cels. V. 27. Com. ser. in Matth. n. 117. — Non bene sibi constat Redepenning, si I. p. 212 suo modo Origeni imputat verba

Pars altera hominis est anima, cuius substantia est incorporea, invisibilis, incorrupta, immortalis.[1]) Itaque anima morte soluta a corpore corruptibili[2]) omnino non potest perire, sed permanet sine corpore. Subsistit ergo anima neque umquam pati potest substantialem interitum.[3])

„Nichtigkeit und Niedrigkeit des Körpers, die ihn (O.) von dessen Schönheit sagen läßt, daß sie nichts als Scheußlichkeit sei" *(πᾶσα τυγχάνουσα αἶσχος)*; ita etiam Clemens corpus *γήϊνον σκῆνος* appellat. De relatione inter corpus et animam optime scripsit Origenis discipulus Gregor. Nyssenus (cf. Hilt. p. 41) qui etiam docet, quo momento corpus generetur, eodem animam a Deo creatam infundi, ut nostrorum philosophorum adhuc est sententia. Hilt. p. 55. De doctrina s. Irenaei cf. Klebba, Die Anthropologie des hl. Irenäus, Münster 1894. p. 91 sq.

[1]) „Animam substantiam esse incorpoream." lib. II. de resurr. l. c. „omnes animae secundum propriam naturam incorporeae." Pr. I. 7. 1. „immortalis enim et incorrupta erit animae humanae substantia." cf. exh. ad mart. 47; Cels. VI. 71. cet.

[2]) Cf. supra p. 17. adiungo ex lib. II. de res. l. c.: „Non tamen corrumpitur corpus secundum totam suam substantiam. Sicut enim plus habet omnis rationabilis anima his, quae vel crescendi vel nutriendi vel motus solius officium exhibere dicuntur, sic ea ratio, quae in humano corpore est, multo amplius habet, quam quae in reliquis est corporibus, ex eo, quod etiam, cum corruptum fuerit corpus humanum, subsistere rursum potest Dei virtute conservatum et custoditum usque ad resurrectionis suae tempus."

[3]) Pr. IV. 36: „dicere esse impium . . ut mens, quae Dei capax est, substantialem recipiat interitum, tamquam hoc ipsum, quod intelligere Deum potest et sentire, non ei sufficere possit ad perpetuitatem." — Erant philosophi, qui etiam animam post mortem permanere admitterent, neque tamen putarent eam omnino esse immortalem. cf. Cicero, Tusc. disp. I. 77: „Stoici diu mansuros aiunt animos, semper negant." Si sequi licet nos „Philosophumena", quae quidem non ab Origene, sed a s. Hippolyto scripta esse constat, etiam Aristoteles dicit, animam „perseverare" *(ἐπιδιαμένειν καὶ μετὰ ταῦτα ἐναφανίζεσθαι τῷ πέμπτῳ σώματι)*, Plato autem docet animam immortalem esse; cf. Migne P. G. 13. p. 1563 et adnot. Hunc philosophorum errorem novit Origenes et hanc, quam vocant, „perseverantiam" *(ἐπιδιαμονήν)* refutans plane esse animam immortalem *(ἀθανασία)* contendebat. Com. in Matth. tom. XVII. 29. De Origenis controversia cum thnetopsychitis cf. Redep. II. p. 105 sq. — Rationem et propriam causam, cur animae debeant omnino esse immortales, videt Origenes in eo, quod sunt Dei capaces et participes: „incorruptae sunt et immortales coelestes virtutes, immortalis sine dubio et incorrupta erit etiam animae humanae substantia; non solum autem, sed quoniam ipsa Patris et Filii et Spiritus sancti natura, cuius solius intellectualis lucis universa creatura participium trahit, incorrupta est et aeterna, valde consequens et necessarium est, etiam omnem substantiam, quae aeternae illius naturae participium trahit, perdurare etiam semper et incorruptibilem esse et aeternam, ut divinae bonitatis aeternitas etiam in ea intelligatur, dum et aeterni sunt hi, qui eius beneficia consequantur." Pr. IV. 36.

Quamquam autem anima per se subsistit, neque proprie pendet de corpore, tamen multis in rebus ei subiacet, etiam in hoc, ut semper indigeat aliquo corpore, ut e loco ad locum transmigret. Et hanc ob rem, cum puer adhuc est in vulva matris, anima indumento corporeo egens membrana quadam induta est, quam postea, si homo nascitur, abicit, et assumit corpus hoc, quo, quamdiu versamur in terra, sumus induti. Attamen etiam post mortem anima sine indumento corporeo non erit, licet in hoc statu utatur indumento multo puriore, quod putatur aetherium, itaque cum abiecerit corpus hoc mortale, materiale, terrestre, non putanda est hoc corpus denuo concupiscere.[1])

In hoc ceterum Origenes congruit cum multis philosophis credentibus etiam ad essentiam animae quoddam pertinere indumentum, quod numquam perdatur, licet cooperiatur per corpus sensibile et materiale, dum anima eo circumvolvitur. Qua quidem sententia movetur Adamantius, ut etiam iis, quos spiritus puros vocamus, angelis, corpus, vel indumentum quoddam adscribat.[2])

---

[1]) *εἰδότες ὅτι ἡ τῇ ἑαυτῆς φύσει ἀσώματος καὶ ἀόρατος ψυχή, ἐν παντὶ σωματικῷ τόπῳ τυγχάνουσα, δέεται σώματος οἰκείου τῇ φύσει τῷ τόπῳ ἐκείνῳ. ὅπερ ὅπου μὲν φορεῖ ἀπεκδυσαμένη τὸ πρότερον ἀναγκαῖον μέν, περισσὸν δὲ ὡς πρὸς τὰ δεύτερα. ὅπου δὲ ἐπενδυσαμένη, ᾧ πρότερον εἶχε, δεομένη κρείττονος ἐνδύματος εἰς τοὺς καθαρωτέρους καὶ αἰθερίους καὶ οὐρανίους τόπους. Καὶ ἀπεξεδύσατο μὲν ἐπὶ τὴν τῇδε γένεσιν ἐρχομένη τὸ χρήσιμον πρὸς τὴν ἐν τῇ ὑστέρᾳ τῆς κυούσης, ἕως ἦν ἐν αὐτῇ, χωρίον. ἐνεδύσατο δὲ ὑπ' ἐκεῖνο, ὃ ἦν ἀναγκαῖον τῷ ἐπὶ γῆς μέλλοντι ζῆν.* Cels. VII. 32. cf. IV. 74; ib. V. 19: *οὐδὲ ποθεῖ ἡμῶν ἡ ψυχὴ τὸ σεσηπὸς σῶμα, ἀλλὰ κἂν δέηται σώματος διὰ τὰς τοπικὰς διαβάσεις.* Quae narrat scriptura de homine divite et paupere „ante consummationem saeculi, proinde ante resurrectionem“ docent animam etiam nunc post mortem uti corpore. Pr. I. 7. 1. Cf. sententiam miram et novam, quam profert Döllinger, Christentum und Kirche in der Zeit der Grundlegung, Regensburg 1868, p. 265.

[2]) Ita etiam multi Stoici, deinde multi Semipelagianorum e. g. Cassianus Gennadius. Tertullianus animam omnino putabat esse materialem, cf. Esser, Die Seelenlehre Tertullians, Paderborn 1893, p. 65–77; Schwane, Dogmengeschichte der patristischen Zeit, Münster 1869, I. p. 392 sq.; II. 537 sq. Denis dicit Origenem sibi contradicere in hac doctrina; p. 177: „les esprits sont toujours unis à des corps et on ne peut les concevoir tout à fait séparés que par abstraction“, cum aliis locis dicat Adamantius (Denis l. c.) „la matière est née pour les esprits et après eux.“ Has tamen difficultates recte iam solvit Redep. II. p. 334: est enim „das Wesen des Geistes Unkörperlichkeit (agebant enim spiritus primo *ἄϋλον καὶ ἀσώματον ζωήν*, tom. in Joan. I. 17; essentia spiritus est immaterialis, Cels. VI. 69, 70) aber es giebt keinen zeitlichen

Animas humanas, cum divinae essentiae et perfectionis quodammodo sint participes, omnes inter se putat Origenes esse unius naturae et substantiae. Haec thesis multum illum adiuvabat ad refellendas gnosticorum sententias. Ut enim obiectiones, quas gnostici in genesim afferebant, eo se refutare posse Origenes putabat, quod mundum aeternum statueret, ita eorum opiniones de differentia animarum et de animarum origine per hoc impugnat, quod dicit eas a prima creatione omnes fuisse aequales et unius naturae.[1] Hoc ut probemus, utamur Rufini textu, qui, ut supra diximus, in multis melior est quam versio Hieronymi. „Humanae animae . . lucis intellectualis i. e. divinae naturae, per hoc, quod sapientiae et sanctificationis participant, . . . sunt unius naturae adinvicem uniusque substantiae . . omnis mens, quae de intellectuali luce participat, cum omni mente, quae simili modo de intellectuali luce participat, unius sine dubio debet esse naturae." Textus autem s. Hieronymi dicit: „Deum et haec omnia, angelos, potestates, ceterasque virtutes quodammodo unius esse substantiae." Quae hic dicit Hieronymus, male congruunt cum iis, quae antea dixerat Origenes. Dixerat autem omnes oculos esse unius naturae, quia omnes eiusdem lucis, quam naturaliter requirunt, sint participes, similiter omnes aures, sensusque omnes. Patet igitur hanc similitudinem manere inter res ipsas, quae comparantur, sc. inter animas tantum, minime autem licere,

Moment, wo nicht der Geist in körperlicher Hülle war. Hierin und nicht nach Huet in der Unterscheidung gröberer und feinerer Körperlichkeit liegt die Lösung der Scheinwidersprüche bei Origenes, wenn er namentlich in Rufins nachhelfender Übersetzung die Körperlosigkeit bald für alleinigen Vorzug der Gottheit erklärt, und bald für die geschaffenen Geister sie in Anspruch nimmt." Cf. Schnitzer, l. c. p. 91. adnot.: „Daß Origenes nicht das Wesen, sondern nur die animalische Existenz der vernünftigen Wesen an die Körperwelt binde, ist sonnenklar. Auch dies ist neuplatonische Vorstellung, welche Porphyr und Plotin dahin bestimmen, daß die Seelen nach Auflösung dieses groben Körpers den ätherischen, der sie überall umgiebt, beibehalten, und den sie deswegen „das geistige Kleid" (Schnitzer, edit. Princ. II. 2. 1) nennen." Valde iuvat cognoscere, quibus argumentis Gregor. Nyss. docuerit animam esse immortalem, spiritalem, eamque sine corpore subsistere. Hilt. l. c. cap. II.

[1]) Pr. IV. 36. cf. Com. in ep. ad Rom. VIII. 11: „unam esse naturam omnium hominum, imo omnium rationabilium dicimus et ad salutem aequaliter habilem et ad perditionem, si negligat . . . naturae rationalis qualitas. Et vide, quomodo aliae quidem in qualitatibus beatitudinis saecula multa perducant, et aliae in qualitate malitiae nihilominus saecula multa consumunt, aliae ex ipsis parvo tempore vel in virtutibus, vel in malitiis manent, aliae perexiguo, aliae admodum brevi."

transgredi in altiorem ordinem, quod quidem fit, si dicitur non res ipsas, animas ergo adinvicem, sed animas et Deum unius esse naturae, quod pantheistarum errorem sapit. [1])

Anima corpori superior est „propter ingenitam sibi rationem“, [2]) ea enim est, quae hominem a ceteris animalibus facit specifice differre. In hoc concordat Origenes cum omnibus philosophis, sed qualem hanc animam censeat, sitne simplex, an com-

---

[1]) Ita etiam hunc textum interpretatur Huber, Philosophie der Kirchenväter, München 1859. p. 163; cf. Thomasius p. 156, 290. Hoc plurimum interest scire, Origenem non tantum putare animas humanas unius esse naturae, sed etiam angelos et daemones, omnes omnino rationabiles creaturas. *οὕτω μιᾶς φύσεως πάσης ψυχῆς ὑποκειμένης τῷ θεῷ, καὶ ἵν' οὕτως εἴπω, ἑνὸς φυράματος ὄντος τῶν λογικῶν ὑποστάσεων, κατὰ πρεσβύτερά τινα αἴτια πεποίηκε τούσδε μὲν εἶναι εἰς τιμήν, τούσδε δὲ εἰς ἀτιμίαν,* fragm. gr. ex Pr. III. 1. 21. uti bene vertit Schnitzer, l. c. p. 194: „Daß Gott nur eine allgemeine Seelennatur, so zu sagen eine Masse der vernünftigen Selbstwesen zu Handen ist, und daß er nach vorhergegangenen Ursachen die einen zu Ehren, die anderen zu Unehren bildet“ Pr. III. 5. 5: „unius namque naturae“ (i. e. eodem tempore et eadem perfectione creatas) „esse omnes rationabiles creaturas ex multis assertionibus comprobatur,“ sed salva Dei iustitia „unaquaeque in semetipsa habet causas, quod in illo vel in illo vitae ordine posita sit.“ De mundi huius varietate, de gubernatione animarum, cf. ibid. l. c. — Omnes spiritus lapsi in corpora missi „multis ministris, rectoribus, auxiliatoribus eguerunt, sed in novissimis temporibus, cum iam finis mundo proximus immineret, et in ultimam perditionem omne humanum vergeret genus, — non iam tali auxilio, nec similibus suis indiguit defensoribus, sed auctoris ipsius et creatoris sui opem depoposcit, qui et his (rectoribus) regendi, et illis obediendi corruptam profanamque restitueret disciplinam;“ quare Verbum caro factum est cet. Pr. III. 5. 6. — Redep. II. p. 315: „Durch eine geistige Emanation leitet Origenes von der grundursächlichen Gottheit Sohn, Geist und Geisterwelt in zeitlosem Momente ab. Die geschaffenen Geister sind auch gewissermaßen göttlichen Geschlechtes und Wesens, haben teil an Gottes Sein und Wesen, welches sie ganz zu fassen die Bestimmung haben.“ ibid. p. 316: „Die Geister sind nicht als Teile der Gottheit anzusehen. Dieser in Indien alteinheimischen, von den Pythagoräern und Stoikern, von Plato und den Neuplatonikern aufgenommenen Ansicht hatten sich frühere Kirchenlehrer, Justin (?), Tatian, die Klementinen, zugewendet. Aber es verwarf sie schon Philo, und Klemens von Alexandrien stimmte ihm bei. Später kehrte sie dennoch in der Kirche wieder, bei Synesius, Arnobius, Laktanz, wie es scheint (?) auch bei Gregor Naz. (orat. XIV. p. 261). Origenes, fälschlich von Hieronymus, Justinian und Spätern dieser Irrlehre angeklagt (Origenian. II. 6. 3), bekämpfte sie mit Nachdruck, weil er sie in der häretischen Gnosis antraf, und gab über das Wesen des geschaffenen Geistes genauere Bestimmungen.“ Origenem omnino procul esse a pantheismo elucet ex de orat. 23.

[2]) *ψυχὴ διὰ τὸν συμπεφυκότα λόγον ἀνωτέρω τυγχάνουσα τοῦ σώματος.* Com. in Joan. tom. X. 16.

posita, sit una in homine an plures et ex quibus partibus constet, quaerendum est.

Animam physice quidem compositam non esse certissime statuit Origenes, cum eam invisibilem, incorruptibilem, incorpoream semper declaret; neque obstat, quod multum de indumento illo aetherio scripsit, qua in re multi patres eiusdem sunt sententiae. Hanc autem, quam metaphysicam appellamus compositionem, sine dubio ab Origene attributam esse animae, cum ubique de natura et essentia, aliis locis de facultatibus et potentiis animae agat, ex multis his locis patet; est autem controversia, fueritne trichotomista Adamantius, necne.

Plurimi quidem omnium philosophorum hoc cognitum statuebant, hominem ex duobus constare, ex corpore et anima. Permultis autem haec duo ad explicandam hominis cum magnam perfectionem, tum magnam debilitatem et infirmitatem sufficere non videbantur, itaque putabant, esse plura, quibus homo constaret, et alii quidem ex tribus, alii etiam ex pluribus eum componi aiebant.[1]) Ex omnibus his tam variis et saepe tam singularibus opinionibus plurimos Platonis illa trichotomia habuit defensores, et ipsi multi philosophi Romani, ut Seneca et Marcus Aurelius imperator, eam amplectebantur. Non plane eadem, quae Platonis[2]), erat opinio multorum Stoicorum, qui hominem constare ex corpore, animo, mente dicebant; gnostici autem hominem, quem pneumaticum appellabant, dicebant constare ex corpore, anima, pneumate.[3]) Cum ergo tot philosophi hominem tripartitum esse, vel triplicem esse animam docerent, mirum esse non debet, si etiam christiani philosophi hanc doctrinam amplectebantur. Optime enim et facillime, si homo ex his tribus constare putabatur, omnes de hominis natura et anima quaestiones et difficultates solutae videbantur; ita facile cognosci poterat praesertim in

---

[1]) Tertullian. de an. c. 14: „dividitur autem in partes, nunc in duas a Platone, nunc in tres a Zenone, nunc in quinque et sex a Panaetio, in septem a Sorano, etiam in octo penes Chrysippum, et in novem penes Apollophanem, sed in decem apud quosdam Stoicorum, et in duas amplius penes Posidonium."

[2]) Plato de Rep. IV. 439. cf. Cicero, Tusc. disp. I. 9: „Plato triplicem finxit animam, cuius principatum, i. e. rationem in capite sicut in arce posuit, et duas partes parere voluit, iram et cupiditatem, quas locis disclusit, iram in pectore, cupiditatem subter praecordia locavit."

[3]) Mens Stoicorum fere idem fuerat, quod est πνεῦμα in gnosticis, id sc. quod est vere divinum in homine, quod eum proprie et vere hominem esse facit.

Platonis illa trichotomia, cur inclinarentur homines ad terrestria, sensibilia, et cur tot tentationes et motus dissentientes et illiciti in iis orerentur; ne illud quidem lumine omnino carebat, quomodo fieri posset, ut operaretur in homine divina virtus et gratia sancti spiritus, eiusque spiritus a spiritu Dei regeretur. Haec omnia si consideraverimus, habemus causam, cur veteres patres et doctores trichotomiam Platonicam docuerint; sic enim Polycarpus, Athenagoras, Aristides, Tatianus, Justinus, Irenaeus, Clemens Alexandrinus, multique alii aut vere trichotomistae sunt, aut saltem multis locis lingua loquuntur trichotomistarum. Atque hanc ob rem multi sunt recentiorum theologorum, qui simulac nomen audierunt patris ecclesiae, eum statim in trichotomistarum numerum aggregent. [1])

Ut aequales multi, sic etiam Origenes multa scripsit, quae eum trichotomistam esse demonstrare possunt, quo factum est, ut a plurimis illis adnumeraretur. Novit Origenes tres de anima opiniones: a) esse in homine duas animas, quarum altera sit „divinior et coelestis", altera „inferior"; b) esse in nobis unam animam; c) animam quidem nostram unam esse „per substantiam", constare tamen „ex pluribus", cuius „una pars rationabilis, pars vero alia irrationabilis dicatur, et ea pars, quam irrationabilem dicunt, in duos rursum dividatur affectus, cupiditatis et iracundiae". Tertiam hanc „Graecorum" opinionem, „quia tripartita sit anima", non valde confirmari ex divinae scripturae auctoritate existimat, sed etiam aliarum duarum opinionum neutram suam esse aperte dicit, et ut sui moris est, lectori dat locum eligendi inter eas, quamvis ipse in prima opinione multas

---

[1]) Quare Klebba, l. c. p. 166. indignans: „Möchte doch, inquit, nunmehr die Behauptung von einem Trichotomismus des hl. Irenaeus für immer aus den Büchern verschwinden." cf. ibid. p. 162 sq.; de s. Greg. Nyss. cf. Hilt. l. c. p. 36—40, contra Vincenzi l. c. I. c. V. Clemens Al. cum Philonis illa distinctione inter *ἡγεμονικὸν μέρος (νοῦς)* et *ἄλογον* vel *σαρκικὸν πνεῦμα* hanc Platonis trichotomiam connectit sc. *θυμὸς, ἐπιθυμία, λογισμός.* Winter, Die Ethik des Clemens von Alexandrien. Leipzig 1882. p. 59. Attamen Vraetz, (Spekulative Begründung der Lehre der katholischen Kirche über das Wesen der menschlichen Seele und ihr Verhältnis zum Körper. Köln u. Neuß. 1865. p. 24.) uti plurimos veteres scriptores christianos, ita etiam Clementem Al. et Origenem (cf. Pr. III. 4. 1) ab accusatione trichotomismi defendit. De doctrina Clementis de anima cf. etiam Denis, l. c. p. 323—334; Bigg, l. c. p. 76.

inveniat difficultates. Temerarium ergo iam ex his non videtur putare secundam opinionem esse Adamantii. [1])

Ceterum hoc mihi constare videtur, tria esse vocabula, quibus nuncupetur ab Origene anima, idque frequentissime sc. *νοῦς, πνεῦμα, ψυχή* i. e. mens, spiritus, anima „quandoque promiscue adhibitis, aliquando speciali animae distinctione a mente et spiritu“. [2]) Nihil autem differre inter mentem et spiritum (*πνεῦμα, νοῦς, λογικὴ νοερὰ φύσις, νοερὰ λογικὴ οὐσία, τὸ ἡγεμονικὸν*) optimo iure putabat Origenes, eamque esse substantiam incorpoream, simplicem, donatam intelligendi et cogitandi capacitate.

Identidem certe ex tribus partibus constare hominem profitetur, nempe ex corpore et anima et spiritu, [3]) quem spiritum vel mentem etiam *τὸ ἡγεμονικὸν* appellat, ideo quod per eum dirigi et temperari debent omnes actus hominis. Omnes quidem creaturas viventes, cum irrationabilia animalia, tum homines anima vegetativa et sensitiva praeditas esse certissimum est, et cognoscitur eo, quod moventur et crescunt. „Definitur namque anima (*ψυχὴ*) hoc modo, quia sit substantia *φανταστικὴ* et *ὁρμητικὴ*, quod latine, licet non tam proprie explanetur, dici tamen potest, sensibilis et movibilis.“ Quae anima vegetativa et sensitiva in omnibus ergo animalibus agens et movens, quin etiam in homine sit, nullatenus dubium esse potest; „tamen et scriptura divina designat, quod Deus in faciem eius inspiraverit spiramentum vitae, et factus est homo in animam viventem.“ [4])

[1]) Pr. III. 4. 1. ibid. n. 2. 3. 4. 5; cf. Pr. III. 4. 5: „qui autem legit, eligat ex his, quae magis amplectenda sit opinio.“

[2]) Vincenzi, l. c. II. p. 198. sq. cf. Redep. II. p. 368.

[3]) „Homo constare dicitur ex corpore, ex anima et spiritu“. Pr. IV. 11. „qui ex anima constamus et corpore et spiritu vitali“. ib. III. 4. 1. „interior homo noster ex spiritu et anima constat“. h. in Gen. I. 15. „nos ab omni inquinamento animae et corporis ac spiritus conservemus“. h. in Exod. III. 3. *ὁ ἄνθρωπος συνέστηκεν ἐκ σώματος καὶ ψυχῆς καὶ πνεύματος.* Pr. IV 11. *ἡ μέν τις (ἰδία) τῆς ψυχῆς, καθ' ἣν τοιάδε ἐστιν. ἡ δέ τις τοῦ νοῦ, καθ' ἣν τοιῶνδέ ἐστι θεωρητικὴ, ἡ δέ τις τοῦ σώματος (αὐτοῦ), καθ' ἣν τοιῶνδέ ἐστιν.* de orat. 24. cf. Pr. II. 8. 4; 10, 7; Com. in ep. ad Rom. I. 18; IX. 25; in Joan. tom. XXXII. 11; de Christo dicitur „suscepit non solum corpus humanum, sed et animam nostrarum quidem animarum similem per naturam.“ Pr. IV. 31. Alio autem loco huius libri distinguit Orig. inter animam et spiritum Christi: „unde videtur quasi medium quoddam esse anima inter carnem infirmam et spiritum promptum“. Pr. II. 8. 4; ex his tamen locis trichotomia per se nullatenus probari potest, ut infra videbis.

[4]) Princ. II. 8. 1.

Quae anima omnibus animantibus communis, tamen eadem in homine ac brutis minime credi potest; imo haec, quae dicitur anima, plane alia est in homine atque in brutis. Hoc patet ex eo, quod praeter hanc animae attributionem Origenes semper homini singulare quoddam privilegium sc. spiritualitatem, omnesque ex ea provenientes perfectiones ascribit, atque quod gravissimum est, utrumque, animam et spiritum vel mentem, ex uno eodemque principio effluere, vel potius unum esse dicit.[1]) Una ergo est in homine anima, intellectiva scilicet, quae tamen etiam vires et facultates animae sensitivae et intellectivae in se habet. Clarius hoc sequitur ex principiis quibus tota Origenis doctrina fundata est. Statuit omnes rationales animas, vel omnes spiritus a Deo creatas ob poenam in corpora mitti, atque ita spiritum fieri animam. Si autem *νοῦς* fit *ψυχή*, nonne substantiā idem est spiritus et anima? Quomodo potest ergo esse differentia inter spiritum et animam, nisi ea sola, quod amisit ille multum perfectionis suae et deterior factus est? Recte ergo concludere ex hoc licet, non posse trichotomistam esse Alexandrinum, etsi multis locis trichotomistarum loquatur lingua eorumque utatur distinctione.[2])

Ex hoc cognoscitur suo iure Adamantium interdum proprium animae sensum, secundum quem est anima vegetativa et sensitiva, reliquisse et ea voce animam intellectivam, continentem in se, ut est forma substantialis corporis,[3]) etiam vegetativam et sensitivam.

---

[1]) „Corpus nostrum unum ex multis membris aptatum, et ab una anima continetur.“ Pr. II. 1. 3; „anima, quae melior totius hominis pars est. Ego puto, ipsam animam nostram et corpus depositum accepimus a Deo . . ipsi animae tuae Deus imaginem et similitudinem suam commendavit.“ h. in Levit. IV. 3. cet.

[2]) *παρὰ τὴν ἀπόπτωσιν καὶ τὴν ψύξιν τὴν ἀπὸ τοῦ ζῆν τῷ πνεύματι γέγονεν ἡ νῦν λεγομένη ψυχὴ, οὖσα καὶ δεκτικὴ τῆς ἐπανόδου τῆς ἐφ᾽ ὅπερ ἦν ἐν ἀρχῇ. ὅπερ νομίζω λέγεσθαι ὑπὸ τοῦ προφήτου ἐν τῷ ‚Επιστρέψον ψυχή μου εἰς τὴν ἀνάπαυσίν σου‘. Νοῦς πῶς οὖν γέγονεν ψυχὴ, καὶ ψυχὴ κατορθωθεῖσα γίνεται νοῦς.* Fragm. gr. ex ep. Justin. ad Men. Princ. II. 8. 3; cf. infra append. de praeexistentia animarum. — Plato (Cratylus. 399) animam nominat *ψυχὴν*, quia *ἀναψύχει τὸ σῶμα*. Origenes animam (cf. adnot. 2 in text. gr.) „quod refrixerit a fervore iustorum et divini ignis participatione“ (Pr. II. 8. 3, Ruf.) vel „a refrigescendo de statu diviniore ac meliore“, „quod ex calore illo naturali et divino refrixisse videatur“ (ib. l. c.), derivat de verbo *ψυχόω* *(ψῦχος)*, sed recte vox illa derivanda est de verbo *ψύχω*. cf. Redep. II. 328. adnot. 2; Bigg, lect. VI. p. 197. adnot. 2.

[3]) Gregor. Nyss. animam ita iam appellat; est enim anima *ζωοποιὸς καὶ συστατικὴ ψυχὴ ὑπάρχει τῆς τοῦ σώματος φύσεως.* Hilt. l. c. p. 42. adnot. 2.

designasse. Eodem modo, ut ferebat consuetudo et utilitas, Origenes, cum anima et spiritus, quomodo differat altera ab altero, bene sciat, distinctis his vocabulis uti potest, exemplum sequens s. scripturae, praecipue s. Pauli, qui et ipse aliquoties ex anima et corpore et spiritu constare hominem dicit,[1]) itemque animam esse secundum suam naturam medium quoddam inter corpus et spiritum declarat,[2]) de „spiritus et animae differentia“ loquitur,[3]) nefariasque novit operationes „superiori animae nostrae parti“ impressas.[4])

Possumus ergo dicere Origenem trichotomiam non docuisse, tribus tamen potissimum dixisse hominem constare, quia ista distinctione hominis naturam et facultates optime dignoscere poterat.[4])

---

[1]) I. Thess. 5. 23; I. Cor. 14. 15. cet.

[2]) „Apparet medium quodammodo esse animam inter carnem et spiritum, et si quidem se carni coniungit, ad obediendum desideriis peccati efficitur cum ea unum corpus, si vero iunxerit se Deo, efficitur cum eo unus spiritus.“ cet. Com. in ep. ad Rom. VI. 1. „mediam semper animam esse inter spiritum et carnem.“ ibid. I. 5.

[3]) „Spiritus et animae differentiam: mediumque quiddam viderim esse animam capacemque virtutis et vitii; spiritum vero hominis, qui in ipso est, mala recipere minime posse, quippe cum res optimae fructus dicantur esse spiritus, et spiritus hominis, non Spiritus sancti, ut arbitraretur aliquis. Nam ad distinctionem huius spiritus hominis manifesta opera carnis nuncupantur ea omnia, quae sunt vituperabilia, quoniam est nullum carnis opus laudabile“. Com. in Joan. tom. XXXII. 11. Hic spiritus, utrum sit gratia sanctificans, an conscientia, vide infra de conscientia.

[4]) *αὗται δὲ αἱ παράνομοι ἐνέργειαι ἐν τῷ ἡγεμονικῷ τυπτόμενοι.* de orat. 28.

[5]) Atzberger, l. c. p. 369. adn. 1 loquitur de „vielfach schwankende und bald mehr biblisch, bald mehr platonisch schillernde Anthropologie des Origenes“ cf. etiam Denis. p. 186, 187. Harnack, Lehrbuch der Dogmengeschichte. Freiburg 1886. Bd. I. p. 541. adnot. 3 dicit Clementem et Origenem esse trichotomistas. Schwane l. c. I², p. 360 (item Atzberger l. c.) duos praecipue putat locos in *Π. α.* agere de trichotomia. Sed nequaquam his locis defendit auctor trichotomiam, imo refutat eam. De Pr. II. 8 4 Origenes agit, ut supra citavimus, de anima et spiritu Salvatoris, sed eodem loco dicit etiam „mentem in animam verti“. Licet ergo non satis aperta sit illa de Salvatoris anima locutio, tamen certe mens, si vertitur in animam, nihil aliud erit, atque anima. Item Pr. II. 10. 7, ubi de poenis gehennae et de igni inferno (metaphorice quidem vexante) agit, haec sunt auctoris verba: „si vero hoc non de Dei spiritu, sed de animae ipsius natura intelligendum est, pars eius melior illa dicetur, quae ad imaginem Dei et similitudinem facta est; alia autem pars ea, quae postmodum per liberi arbitrii lapsum contra naturam primae con-

Quod in nobis „est primum ac summum, et caput omnium, mens est“;[1]) haec mens posita est supra omnem materiam neque ea indiget. Non obstat huic sublimitati mentis secundum Origenis sententiam, quod semper corpore, vel potius indumento quodam materiali indiget. Habet enim et exercet actiones suas, opus ad hoc non habens „loco corporeo“, vel „sensibili magnitudine“, „corporali habitu“, vel aliis prorsus ex his, quae corporis vel materiae propria sunt.[2]) Sed contra indiget „magnitudine intelligibili“. Non enim putandum est habere mentem pueri nuper nati plenam suam perfectionem, et posse exercere omnes, ad quas indolem habet, naturales operationes; sed potius, sicut corpus nutritur et crescit, ita etiam mens educatione et exercitiis colatur oportet, ut ad perfectionem perveniat, atque ut ea, quae ei sunt insita, „ad intelligentiam“ provocentur ingeniique acumen elimetur.[3]) Quo ergo magis confortatur et roboratur corpus, eo

---

ditionis et puritatis assumpta est, quae utique pars, utpote amica et chara materiae, cum infidelium sorte mulctatur“. Nihil certe aliud his verbis intelligi potest, nisi animam vel spiritum puriorem ac perfectiorem a creatore factum esse, quam nunc sit, eumque post lapsum aliam partem inferiorem „assumpsisse“, animam nempe vegetativam et sensitivam, cuius ipse etiam fungatur officiis. — Item non puto „animam tripartitam“ docere Origenem, si in Ezech. I. 16. dicit: „quae est tripartitio animae? per hominem rationale eius indicatur, per leonem iracundia, per vitulum concupiscentia“ (cf. catenam ad hunc textum *τὸ λογιστικόν, τὸ θυμικόν, τὸ ἐπιθυμητικόν*). Melioris enim explicationis causa in interpretatione allegorica hac Platonis „tripartitione“ utitur auctor. Ceterum Origenes ipse (Pr. III. 4. 5) trichotomiam omnino refutat ut etiam Schnitzer. p. 227 adnot. bene agnovit: „Origenes führt die entgegenstehende Hypothese der Doppelseele auf ein absurdum, das er häufig gebraucht. Und eben dies spricht dafür, daß hier seine wahre Meinung gesagt ist.“ cf. Schnitzer p. 224 adnot.; non multum aberat, quin etiam Denis, quomodo, quae in Origene de anima dicta et sibi contradicentia sunt, recte intellegi possent, inveniret, cf. l. c. p. 187: „il y a là aux moins deux théories qui s'accordent assez mal ensemble: celle qui considère l'âme comme l'esprit déchu, celle qui en fait le principe vital.“

[1]) H. in Levit. IX. 2.

[2]) „Mens, ut operetur et moveatur, non indiget loco corporeo, neque sensibili magnitudine, vel corporali habitu, neque alia prorsus indiget horum, quae corporis vel materiae propria sunt.“ Pr. I. 1. 6.

[3]) „Indiget sane mens magnitudine intelligibili, quia non corporaliter sed intelligibiliter crescit; non enim corporalibus incrementis, simul cum corpore mens . . augetur, sed eruditionibus et exercitiis adhibitis acumen quidem elimatur ingenii, quaeque ei sunt insita, ad intelligentiam provocantur, et capax fit maioris intellectus. In puero enim adhuc imbecilla est mens, quia imbecilla

melius etiam perficitur vis mentis, quippe quae corpore tanquam suo organo utatur.

Origenis doctrinam de homine ut plenius intelligamus, brevi recurrendum est ad prima auctoris principia de mundo aeterno, spiritibus aequalibus et lapsis.

Mentes omnes vel spiritus erant apud Deum et maxima perfectione gaudebant; omnes tamen, excepta ea anima, quacum postea Verbum coniunctum est, lapsi sunt in peccata et multum perfectionis amiserunt. Neque tamen erat „decessus ipse mentis ac devolutio aequalis omnium“. Et quia „aliquae mentes aliquid etiam prioris vigoris“, alii nihil eius vel tantum „exiguum aliquid“ servaverunt, indoles hominum tam est varia, atque „inveniuntur quidam statim ab ineunte aetate ardentioris acuminis, alii vero tardioris, nonnulli vero obtusissimi et pene indociles“ nascuntur.

Mens ergo nostra debilitata est et multas, quas antea habebat, perfectiones amisit. Amisit cognitionem Dei, qua fruebatur, et inclinatur ad sensibilia et terrestria, itaque multa sunt, quae „supra captum nostrum“ sunt; non enim „ea animae pars praestantissima“ „in nobis est pura“, [1]) et non iam possumus videre Dei splendorem, neque ipsum Verbum Dei in splendore suae maiestatis; „inferne iacent“ enim et pronae sunt facultates nostrae et sensus, nec valent se „erigere, ut perfecte sublimia contemplentur“. [2]) Etiamsi maxime perfectioni animae studemus, nunquam ad pristinam puritatem et perfectionem his in terris eam reducemus, sunt enim mali affectus et peccata, quae obcaecant

membrorum est compago, quibus velut organis ad exercitium sui mens utitur,“ cet. ib. l. c. Quae hic dicuntur, non contradicunt iis quae in adnot. 2. dicta sunt; mens enim per se non indiget corpore nostro; mens autem, in quantum est mens humana, atque corpore utitur tamquam suo organo, sine dubio eget organi adiutorio et recta dispositione. — Immaterialem esse mentem defendit acerrime Origenes Pr. I. 1. 7: „si qui sunt, qui mentem ipsum animamque corpus esse arbitrentur, velim mihi responderent, quomodo tantarum rerum tam difficilium tamque subtilium rationes assertionesque recipiat. Unde ei virtus memoriae? Unde ei rerum invisibilium contemplatio? Unde certe incorporalium intellectus rerum corpori inest? Quomodo natura corporea disciplinas artium, rerum contemplationes, rationesque rimatur? Unde etiam divina dogmata, quae manifeste incorporea sunt, sentire ac intelligere potest?“

[1]) *οὐδὲ γὰρ ἀθόλωτον ἡμῶν ἐστιν τὸ ἡγεμονικόν.* Com. in Joan. tom. X. 18.

[2]) *προτρεπομένου ἡμᾶς τοῦ θείου λόγου ὑψοῦν, καὶ ἐπαίρειν τὰ φρονήματα καὶ τὸ διορατικὸν κάτω που κείμενον, καὶ συγκύπτον μὴ δυνάμενόν τε ἀνακύψαι εἰς τὸ παντελὲς μετεωρίσαι.* Com. in Joan. tom. XIII. 42.

animam, et quae vincere nunquam plane possumus.[1] Hanc ob rem, cum Deus mitteret filium suum, ut nos redimeret a servitute peccati et reduceret ad veram Dei cognitionem, seipsum exinanire et pro nobis homo fieri debuit, ut ipse homo homines sibi reconciliaret.[2]

Ex altera parte Origenes recte cognoscit et laudat mentis dignitatem et sublimitatem. Magna re vera est sublimitas humanae naturae, et „admiranda Divinitas" est, quae ad tantam dignitatem hominem creavit. Nos enim sumus, propter quos universus creatus est mundus, et nobis servire debent omnes creaturae.[3] Quot possumus mente complecti et moderari! Quan-

[1]) Loquitur Origenes de „ignominiae operibus", (*ὅσον ἀτιμίας ἔργα ἐργαζόμεθα, κάλυμμα ἔχομεν ἐπὶ τὴν καρδίαν ἡμῶν κείμενον*), „operibus confusionis" (*τὸ κάλυμμα τὸ ἐπικείμενον ἀπὸ τῶν τῆς αἰσχύνης ἔργων.*), de operibus „ignominiae et confusionis" (*τὸ κάλυμμα ἐπιτίθεταί σου τῷ προσώπῳ διὰ τῶν τῆς ἀτιμίας καὶ τῶν τῆς αἰσχύνης ἔργων . . . οἷον ὀργὴ ἐπικειμένη τῇ ψυχῇ ἡμῶν κατά τινος ἐπίκειται κάλυμμα ἡμῶν ἐπὶ τὸ πρόσωπον.* In Jerem. h. V 8, 9, ubi de affectibus loquitur ita Alexandrinus, certe non definit affectus Stoicorum, sed malos spectat affectus. De peccato protoparentum et affectibus huius peccati dicit Origenes: *διηνοίχθησαν . . οἱ ὀφθαλμοὶ τῆς αἰσθήσεως . . οὓς δὲ τέως εἶχον βλέποντας τῆς ψυχῆς ὀφθαλμοὺς καὶ εὐφραινομένους ἐπὶ τῷ Θεῷ . . τούτους οἶμαι διὰ τὴν ἁμαρτίαν ἔμυσαν κ. τ. λ.* Cels. VII. 39. ib. 41; cf. infra de peccatis.

[2]) *λόγος . . ἐγένετο σάρξ, ἵνα χωρηθῇ ὑπὸ τῶν μὴ δυναμένων βλέπειν αὐτὸν καθ' ὃ Λόγος ἦν καὶ πρὸς Θεὸν ἦν καὶ Θεὸς ἦν. Καὶ σωματικῶς γε λαλούμενος καὶ ὡς σὰρξ ἀπαγγελλόμενος, ἐφ' ἑαυτὸν καλεῖ τοὺς ὄντας σάρκα, ἵν' αὐτοὺς ποιήσῃ πρῶτον μορφωθῆναι κατὰ τὸν Λόγον τὸν γενόμενον σάρκα, καὶ μετὰ τοῦτο αὐτοὺς ἀναβιβάσῃ ἐπὶ τὸ ἰδεῖν αὐτὸν, ὅπερ ἦν πρὶν γένηται σάρξ.* Cels VI. 67. Saepe idem docetur ab Adamantio, cf. Cels. VII. 40. 43; Com. in Joan. tom. XX. 22; Com in Matth. tom. XII. 29 sq. — Non propter sui ipsius gloriam, sed ob hominum efficiendam beatitudinem Verbum caro factum est: *οὐ γὰρ ἐπιδεικτιᾷ ὁ Θεὸς πρὸς ἡμᾶς, βουλόμενος ἡμᾶς συνιέναι καὶ νοεῖν αὐτοῦ τὴν ὑπεροχήν, ἀλλὰ τὴν ἀπὸ τοῦ γιγνώσκεσθαι ἡμῖν αὐτὸν ἐγγινομένην ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν μακαριότητα ἐμφύεσθαι ἡμῖν θέλων, πραγματεύεται διὰ τοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς ἀεὶ ἐπιθυμίας τοῦ Λόγου, ἀναλαμβάνειν ἡμᾶς τὴν πρὸς αὐτὸν οἰκείωσιν* Cels. IV. 6. Recte dicit Redep II. p. 339: „Die Erlösung faßte Orig., wie sein System es forderte, lediglich als Wiederherstellung auf (sic ergo finis ad principium reparatus, et rerum exitus collatus initiis restituet illum statum, quem tunc habuit natura rationabilis, cum de ligno sciendi bonum et malum comedere non egebat) nicht als Erhöhung über den ursprünglichen Zustand." „Dagegen sagt Clemens Paed. p. 69. Sylb. *ὁ ἐκ τοῦ παραδείσου πεσὼν μεῖζον ὑπακοῆς ἆθλον, οὐρανοὺς ἀπολαμβάνει.*"

[3]) Cels. VIII. 52; IV. 81; Princ. II. 1. 1; idem omnes fere philosophi docebant; etiam Stoici putabant „hominem et universam naturam rationis participem animalibus ratione privatis antecellere, et propter illam potissimum

tum nos non elevat ratiocinandi facultas et liberi arbitrii? Est nobis facultas intelligendi, cognoscendi, iudicandi, quae iusta sunt, ceterae sunt perfectiones quam plurimae.[1]) Sumus ipsius divinae providentiae ministri, neque solius providentiae divinae opera consequimur, sed etiam permulta sunt, quibus ipsi providere possumus;[2]) imo ea putanda est dignitas nostra, ut habeamus ipsam cognationem et consanguinitatem quandam ad Deum.[3]) Hominis natura, si ita consideratur, certe magna exornata est dignitate, et ea sola iudicandi et liberi facultata arbitrii super omnes alias creaturas valde extollitor. Sed et omnes, quas in hoc mundo sparsim videmus virtutes et perfectiones, homo in se collatas habet, propter quod Stagiriten sequens Alexandrinus, iure hominem minorem mundum appellat.[4])

omnia Providentiam fecisse.“ Cels. IV. 74: de Clemente Al. cf. Winter l. c. p. 75.

[1]) *δύναμις γνωστικὴ, κριτικὴ, εὐποιητικὴ, δικαιοπρακτικὴ, ἐῤῥωμένη παντὸς καλοῦ, ἐπιτελεστικὴ, κατ' εἰκόνα Θεοῦ.* Sel. in Gen. 26; „potentiae, quae sunt in anima; nempe potentia memoriae et imaginandi, discurrendi;“ Com. in Joan. tom. XX. 20: „animae est virtus memoriae, rerum invisibilium contemplatio.“ *τὰ ἐν τοῖς τοῦ ἔσω ἀνθρώπου ἐστὶν νοητικὴ δύναμις καὶ διανοητικὴ, καὶ ἐπιβλεπτικὴ, καὶ ἑρμενευτική.* Sel. in Ps. 102. 1.

[2]) Cels. IV. 82.

[3]) H. in Gen. I. 12: „Vult enim Deus, ut magna ista Dei factura homo, propter quem et universus creatus est mundus, non solum immaculatus sit et immunis, sed et dominetur iis (aliis creaturis); quanta magnitudo hominis, qui habet honorem coeli, propter quod et coelorum ei promittitur regnum, habet et terrae honorem“ cet. cf. p. 13. adn. 3. Omnes fere patres idem docent. Justin. dial. c. 41: *τὸν κόσμον ἐκτικέναι σὺν πᾶσι τοῖς ἐν αὐτῷ διὰ τόν ἄνθρωπον.* Tatian. or. adv. Gr. c. 4: *γέγονεν ἥλιος καὶ σελήνη δι' ἡμᾶς.* Irenaeus adv. haer. X. 2: *θεὸς τοὺς ἀνθρώπους ἠγάπησεν . . . δι' αὐτοὺς ἐποίησεν τὸν κόσμον.* Clem. Al. coh. 55; addo ex Origene Cels. IV. 74: *τῷ ἀνθρώπῳ πάντα πεποικέναι τὸν Θεόν.* Pr. II. 1. 1: „in ipsis rationabilibus animantibus sit tanta diversitas, propter quam etiam omnis reliqua varietas ac diversitas putanda est exstitisse.“ [Quod hoc loco in Rufini tantum versione non in text. fragm. gr. legitur.] Celsus „propter animantes rationis expertes facta esse omnia“ contendebat, Orig. c. Cels. IV. 74: *τῶν ἀλόγων ζώων ἕνεκεν γεγονέναι τὰ πάντα.* cf. Cic. de leg. I. 8.

[4]) Arist. Phys. VIII. c. 2. 252. l. 26; Orig. h in Gen. I. 10: „minor mundus“ homo; in Levit. h. V. 2: „homo parvus mundus“. Item Philo, cf. Huber l. c. p. 5; Greg. Nyss.: *μικτὸς κόσμος, μικρὸς κόσμος*, Hilt., l. c. p. 19. adn. 3; Constit. apost. VII. 3. 4; VIII. 7: *κόσμος κόσμου;* Nicol. Cus.: „mundus contractus“; *μικρόθεος*, ut alii dicunt. — De mundo ipso dicit Origenes Pr. II. 1. 3: „sicut et nostrum corpus unum ex multis membris apta-

Manifeste ergo creator generis humani singularem quandam in hominis constitutione ostendit providentiam; immo omnia dona ista in uno illo collegit, quod ei dedit quoddam „participium Dei". [1]) Atque rationem quidem hominis de Logo vel Christo, moralem perfectionem et sanctitatem de Spiritu sancto Origenes deducit. Multa iam ethnici philosophi, praesertim Plato, de divina ratione (*νοῦς*, *λόγος*), quae in nobis sit et in nobis operetur, disputaverant, atque Stoici et Neoplatonici putabant, rationem humanam, etsi non sit eadem, quae ratio divina, tamen esse partem divinae rationis. Etiam philosophi Alexandrini de hoc logo scripserant, et nota est praecipue Philonis de logo doctrina. Philonis logos est alter Deus, sed etiam minor Deus, neque proprie sed abusive (*καταχρηστικῶς*) tantum Deus appellari potest; itaque consequenter laudat ille philosophus Judaeos, quod uni Deo, nempe omnipotenti, non tamen logo venerationem dare velint. Philonis logos est nihil aliud, nisi summa idearum Platonis, principium et exemplar omnis mundi ordinis; non ipse est creator, sed Deus secundum vel ad (*κατὰ*) hunc logum omnia creavit; est ergo exemplar, non „persona". [2])

In istis opinionibus etsi nihil erat, quod apostoli divinae doctrinae ut veritatis augmentum adiungere deberent, optime tamen lingua philosophorum uti poterant, ut christianam de Verbo divino doctrinam exponerent. Itaque Joannes hac logi voce utebatur, ut eam divinam personam, quae in Christo homo factus est, designaret. [3]) Secundum autem s. Joannis doctrinam hic Logos

---

tum est et ab una anima continetur, ita et universum mundum velut animae quoddam immensum atque immane opinandum puto, quod quasi ab una anima virtute Dei ac ratione tenetur." cf. Sel. in Jerem. XXIV. 6. *ὅπερ ὁ κόσμος ὅλος τοῦτο κατά τινα ἀναλογίαν ἐστι μόνος ὁ ἄνθρωπος κ. τ. λ.*

[1]) Pr. I. 3. 6.

[2]) In his omnibus de logo dictis sequor Döllinger l. c. p. 169, 170. Cf. Huber. l. c. p. 4; Bigg. lect. I. p. 14 sq.

[3]) „Offenbar war das Wort Logos als Bezeichnung eines göttlichen Mittelwesens, einer neben Gott oder dem „Vater" stehenden zweiten Persönlichkeit in der Zeit und Umgebung, in der sich Johannes bei Abfassung seines Evangeliums befand, schon gebräuchlich. Die Quelle, aus der diese Vorstellung und Bezeichnung geflossen, und aus der sie Johannes mittelbar oder unmittelbar sich angeeignet hat, muß in der Genesis, den deuterokanonischen Büchern und der alexandrinisch-jüdischen Religionsphilosophie gesucht werden . . . Die alexandrinisch-philonische Lehre bot ihm für alles dies den rechten Ausdruck." Döllinger, l. c p. 168.

non est Deus quidam inferior, non est ratio divina, quasi mera potentia aut actio cognitiva, sed subsistit hic Logos, persona est. Et hic Logos (hypostaticus) non tantum exemplar est, secundum quod omnia creata sunt, sed ipse omnia creavit: „mundus per ipsum factus est". Philonis logos est fons omnis lucis, cum spiritualis in anima hominis tum lucis physicae-cosmicae. Joannes dicit Logum esse lucem intellectualem et moralem, quae illuminet omnes homines, quae tamen propter peccatorum tenebras a multis non comprehendatur. Philo, cum logum personam esse nesciret, nihil etiam agnovit de Logo, in quantum est Messias et homo factus est; imo Philonis logos, qui persaepe nihil aliud esse videtur nisi conceptus mere abstractus, homo fieri omnino non poterat. Caro factus est Joannis Logos et Salvator hominum, atque vere nos redemit. Ipse vita est et dat vitam nobis, vitam sc. naturalem, cum sit creator, vitam spiritualem, cum sit salvator, omnis enim vita in eo tamquam in principio et fonte continetur. Cum sit lux hominum, iam, priusquam homo fieret, illuminavit mundum, quae peccatis aversa a Deo magnis premebatur tenebris; quamquam mundus eum non plane cognovit, et sui ipsi eum non receperunt, tamen huius Verbi incarnati lux, sola est „lux vera, quae illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum".

Quae Joannes scripsit de Logo, haec certe erat etiam doctrina apostolorum omnium et totius ecclesiae, et hanc ob rem eadem doctrina, vel similis saltem invenitur apud antiquissimos christianae ecclesiae patres. Bene scripsit de hoc Logo Clemens Alexandrinus, eumque sequitur magistrum Origenes,[1]) qui quidem, ut ipse fatetur, quae „Graeci et barbari" scripserant de logo, noverat,[2]) sed multo melius, ut videbimus, hoc theologiae caput illustravit.

„Omnes, qui rationabiles sunt, Verbi, i. e. rationis participes sunt, et per hoc velut quaedam semina insita sibi genuit sapientiae et iustitiae, quod est Christus" . . . Est „in corde hominum Christus secundum id, quod Verbum vel ratio est, cuius participatione rationales sunt"[3]) Non ergo tunc demum coepit pro

[1]) Redep. I p. 135 sq. Cf. ib. Clementis perpulchram illam „orationem ad Logum" dicendam; de Origenis doctrina cf ibid. II. p. 298 sq.; Denis, p. 97 sq.

[2]) Princ. I. 7. 1.

[3]) Hanc ob rem „ex participatione Verbi vel rationis, homines peccatum

salute hominum operari Logos, cum carnem assumeret, sed ex quo homines sunt, in cordibus eorum operatus est. Nam „unigenitus Dei“ „imago visibilis invisibilis Dei“, qui „fecit omnia, et quae fecit, diligit“; quare „participationem sui omnibus rationabilibus creaturis invisibiliter praebuit“, et hoc quidem, — ut etiam est sensus huius textus — ante omnia tempora, et mundi constitutionem, „ita, ut tantum ex eo unusquisque participium sumeret, quanto erga eum dilectionis inhaesisset affectu“. Sed propter liberi arbitrii facultatem „alius ardentiore, alius tenuiore et exiliore erga auctorem suum amore“ tenebatur, atque haec est causa, quare naturalis illa Verbi divini participatio, qua homines rationabiles sunt, tam diversa est in omnibus, ita ut spirituum, qui propter pristina peccata homines fiunt, alter alterum ingenii acumine, mentis sagacitate, ceteris animae virtutibus superet. [1])

---

habere dicuntur; videlicet, ex quo intellectus atque scientiae capaces effecti, cum iam eis boni vel mali discretionem ratio intrinsecus inserta suggesserit, et cum scire iam coeperint, quid sit malum, si faciunt illud, peccato efficiuntur obnoxii.“ Pr. I. 3. 6. Haec quidem Logi participatio mere naturalis est, et in omnibus omnino hominibus invenitur (nimirum diverso gradu), sed ut possimus huius participationis sentire effectum, ad tempus discretionis quemque pervenisse oportet, cum (cf. supra p. 31) ratio corpore utens ad exercendam suam operationem multum pendeat de corpore. cf. Scheeben, Dogmatik. I. p. 133. n. 360.

[1]) Pr. II. 6. 3; quae sequuntur magis ad liberum arbitrium spectant, sed liceat mihi ea hoc loco brevi exponere. Spiritus cum peccarent omnes, unus tamen non peccavit, sc. ea anima, quacum Verbum postea se coniunxit; huic animae erat „magna dilectionis perfectio et meriti affectus sinceritas.“ Quare „cum ipso (Logo) principaliter (postea) unus spiritus“ facta est, et haec Christi anima sibi meruit „inseparabilem cum Deo unitatem“. Non tamen differebat huius animae natura a nostra. Pr. II. 6. 5: „naturam quidem animae illius hanc fuisse, quae est omnium animarum, alioquin nec dici anima potuit, si vere non fuit anima.“ Quamquam ergo huic animae „boni malique eligendi facultas praesto“ esset, tamen „pro immensitate dilectionis inconvertibiliter atque inseparabiliter“ Logo inhaeret, „ita ut propositi firmitas et affectus immensitas et dilectionis inextinguibilis calor omnem sensum conversionis atque immutationis abscinderet, et quod in arbitrio erat positum, longi usus affectu iam versum sit in naturam.“ Hoc modo facile et suo iure Origenes de Logo agens omnia, quae de Logo dicit, etiam de Logo incarnato dicere potest, cuius omnes participium habent. Valde dolendum est, quod Origenes, ea quae tam recte de libero animae Christi arbitrio „inconvertibiliter et inseparabiliter“ Logo inhaerente dixit, non de omnibus etiam praedicari posse beatis animabus docuit. — Logos in omnibus quidem hominibus est, sed

Idem Logos,[1] cuius omnes participationem habemus, est exemplar omnis spiritualis perfectionis; ab ipso in corde nostro verae sapientiae semina insita sunt, virtutes sc. naturaliter nobis inhaerentes, quas quidem excolentes Verbum ipsum imitamur.[2] Ardet imprimis animus noster naturali desiderio sciscitandi cum ea, quae sunt naturalia, tum, quae sunt supernaturalia. Hoc „ineffabile desiderium“ certe, cum omnibus natura insit, est naturale et a Deo nobis insitum. Quare, sicut oculus noster naturaliter lucem requirit et visum, ita mens nostra veritatem Dei et rerum causas noscendi proprium ac

---

non eodem modo est in omnibus: „plenius enim et clarius, et ut ita dixerim apertus in archangelis est, quam in aliis sanctis viris. Quod ex eo manifestum est, quia cum ad summam perfectionem venerint sancti quique, dicuntur similes angelis effici, vel aequales secundum evangelicam sententiam. Unde constat in singulis quibusque tantum effici Christum, quantum ratio indulserit meritorum.“ Princ. IV. 30. Omnis ergo naturalis hominis coniunctio cum Christo pendet cum ex meritis vel demeritis animarum praeexistentium (in actu primo), tum ex vita bona vel mala, quae his in terris agitur (in actu secundo); saepe dicit Origenes peccatis naturalem hanc Logi participationem minui, vel potius exercitium rationalium cognoscendi, iudicandi cet. facultatum debilitari. Cf infra. de peccatis; cf. etiam Sel. in Matth. n. 838; Sel. in Ps. n. 676.

[1]) In Joan. II. 4 non esse dicit Origenes *πλείονας λόγους, καὶ τάχα ἑτερογενεῖς, ἢ ὁ μέν τις Θεοῦ Λόγος, ἕτερος δὲ φέρε εἰπεῖν ἀγγέλων Λόγος κ. τ. λ.* sed *εἷς ἂν ὁ Λόγος*, sicut et una est veritas; ib. l. c. 29: *προηγουμένη αὐτοῦ ὑπόστασις διήκουσα ἐπὶ πάντα τὸν κόσμον κατὰ τὰς ψυχὰς τὰς λογικάς.* cf. Thomasius l. c. p. 134: „Der unsichtbare bis zu jedem einzelnen Menschen reichende Logos ist kein anderer, als der Mensch gewordene.“ Si dicit Harnack D. G. I. p. 552: „daß Origenes dem fleischgewordenen historischen Logos die Bedeutung für die Gnostiker abgesprochen hat,“ et similiter loquitur Redep. l. c. I. p. 339, non gravis momenti est haec accusatio; nimirum alia est relatio eorum ad Deum, qui sunt adhuc valde infirmi et ad peccatum prompti, hos movet magis aspectus patientis Salvatoris et dolores concutiunt Christi morientis; alia autem eorum est relatio, qui iam ad hoc perfectionis pervenerunt, ut sit mortuum in iis peccatum, et sibi ipsi sint lex; hi enim non tantum, quantum illi, consideratione incarnati Verbi indigent, sed evehuntur ad considerandam magis Logi dignitatem et naturam divinam. Cf. de hoc Thomasius l. c. p. 241.

[2]) „Christus rationabilis naturae corona est.“ Sel. in Ps. XX. vers. 4; „Christus, qui utique, quamvis sapientia sit, non tamen in omnibus sapientiae obtinet vim, nisi in his, qui in ipso sapientiae student . . ita arbitror etiam de Spiritu sancto, in quo est omnis natura donorum.“ Pr.. II. 7. 3; „hoc ergo Verbum et haec sapientia per cuius imitationem vel sapientes, vel rationabiles dicimur, omnibus fit omnia, ut omnes lucrifaciat.“ Pr. IV. 31.

naturale desiderium gerit. Non autem ad hoc accepimus desiderium illud, ut nec debeat unquam nec possit expleri. Frustra enim menti nostrae videretur veritatis amor insertus, si nunquam eius compotes efficeremur. Participatione autem Verbi divini, quae est causa et fundamentum huius desiderii, etiam facultatem habemus illud implendi, atque ea, quae vera appetimus, cognoscendi. Nimirum haec sciendi et cognoscendi facultas in nobis certum finem et modum habet. Multa sunt, quae cognitu sunt difficilia, alia, quae omnino capere non possumus. Sic „mens nostra ipsum per se ipsam Deum, sicut est, non potest intueri“, attamen satis „ex pulchritudine operum et decore creaturarum parentem universitatis intelligit“. [1])

A Deo ergo omnia habemus: ut simus, habemus a Deo patre, ut rationabiles simus, a „Verbo; ex participatione Filii Dei in filium adoptamur, participatione in Deo sapientes efficimur“, sed hoc nondum nobis sufficit: habemus etiam participationem Spiritus sancti, per quem spiritales et sancti efficimur. [2]) Attamen, quamvis omnis rationabilis creatura „participio indigeat Trinitatis“, [3]) operatio tamen Spiritus sancti inveniri non potest, nisi in iustis et sanctis, cum operatio patris et filii sit in omnibus tam in sanctis, quam in peccatoribus, in hominibus rationabilibus atque — etsi non eodem modo — mutis animalibus, et in omnibus omnino, quae sunt; [4]) sanctus enim Spiritus in illis minime esse potest, qui, quamvis rationabiles, in malitia positi sunt, sed in iis tantum putandum est „esse opus Spiritus sancti, qui iam se ad meliora convertunt, et per vias Jesu Christi incedunt, i. e. qui sunt in bonis actibus et in Deo permanent“. [5]) Per hoc Spiritus sancti in nobis „participium“ vel inhabitationem

[1]) Pr. I. 1. 6.

[2]) Pr. I. 3. 8; IV. 32.

[3]) ibid. IV. 32.

[4]) „arbitror ergo operationem quidem esse Patris et Filii tam in sanctis, quam in peccatoribus, in hominibus rationabilibus et in mutis animalibus; sed et in his, quae sine anima sunt, et in omnibus omnino, quae sunt.“ cet. Pr. I. 3. 5.

[5]) Princ. I. 3. 5. fragm. gr. *ὁ μὲν Θεὸς καὶ Πατὴρ συνέχων τὰ πάντα φθάνει εἰς ἕκαστον τῶν ὄντων, μεταδιδοὺς ἑκάστῳ ἀπὸ τοῦ ἰδίου τὸ εἶναι· . . ὢν γάρ ἐστιν . . . ὁ υἱὸς φθάνων ἐπὶ μόνα τὰ λογικά· δεύτερος (ἐλάττων) γάρ ἐστι τοῦ Πατρός. ἔτι δὲ ἧττον τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπὶ μόνους τοὺς ἁγίους διϊκνούμενον*

nobis gratiam sanctificantem dari certissime est Origenis doctrina. Etiam s. Irenaeus ex participio sancti Spiritus hanc supernaturalem gratiam procedere docebat.[1]) Multorum patrum doctrina hac in re haud exiguas quidem habet difficultates; de Origene autem dubitari nequit, quin, quam intime coniungantur gratia sanctificans et Spiritus sanctus, recte et distincte docuerit. „Per impositionem" enim inquit Adamantius „manuum apostolorum post baptismum gratia et revelatio sancti Spiritus tradebatur". Sed „est et alia quoque etiam Spiritus sancti gratia, quae dignis praestatur, ministrata quidem per Christum, inoperata autem a Patre, secundum meritum eorum, qui capaces eius efficiuntur".[2]) „Unde et inoperatio Patris, quae esse praestat omnibus, clarior ac magnificentior invenitur, cum unusquisque per participationem Christi secundum id, quod sapientia est, et secundum id, quod scientia est et sanctificatio est, proficit et in altiores profectuum gradus venit: et per hoc, quod participatione sancti Spiritus factus est quis purior atque sincerior, effectus dignus recipit sapientiae ac scientiae gratiam, ut depulsis omnibus expurgatisque pollutionis atque ignorantiae maculis, tantum profectum sinceritatis ac puritatis accipiat, ut hoc, quod accepit a Deo, ut esset, tale sit, quale Deo dignum est, eo qui ut esset pure utique praestitit ac perfecte; ut tam dignum sit id, quod est, quam est ille, qui id esse fecit."[3]) His verbis sine ulla dubitatione dicit auctor Alexandrinus, esse operationem Spiritus sancti, quae det animis nostris novum esse, esse sc. supernaturale, esse divinum i. e. gratiam, quam sanctificantem vocamus. Hanc ergo iustificationis gratiam „ministratam per

[1]) Klebba l. c. p. 181. s. Irenaeum ob sententiam adv. haer. II. 33. 5. minus recte prolatam a multis iniuste accusatum defendit: „Der natürliche Mensch an sich besitzt kein Pneuma, das Pneuma ist das Charakteristikum für den über die Natur erhobenen Menschen." Persaepe Irenaeus gratiam sanctificantem simpliciter *πνεῦμα* appellat. Loquitur iam s. Irenaeus de inhabitatione sancti Spiritus: adv. haer. V. 20. 6; item Barnabas VII. 8; Hermas. Pastor. Par. V. 7. 1: *τὴν σάρκα σου ταύτην φύλασσε καθαρὰν καὶ ἀμίαντον, ἵνα τὸ πνεῦμα τὸ κατοικοῦν ἐν αὐτῇ μαρτυρήσῃ αὐτῇ καὶ δικαιωθῇ σου ἡ σάρξ.* ib. IX. 14. 3: *ἀνεκαίνισεν (Χριστὸς) ἡμῶν τὸ πνεῦμα.* Cf. I. Cor. 3, 16; Rom. 8, 9–11. De Origene cf. Sel. in Ezech. cap. 16: „unguentum est (Ezech. 16. 9) inhabitatio Spiritus sancti in scientia veritatis" *(χρίσμα ἐστιν ἐνοίκησις τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐν γνώσει τῆς ἀληθείας)*; de Ezech. 16. 10 dicit Origenes: „indumentum varium habitus est variis ornatus virtutibus" *(ἔνδυμά ἐστιν ποικίλον ἡ ἐκ τῶν ποικίλων ἀρετῶν ἕξις)*. ib. l. c.

Christum" cum bene cognosceret Adamantius, etiam hoc recte dicit, „quod praecipuus sancti Spiritus adventus ad homines post ascensionem Christi in coelos magis, quam ante adventum eius, declaretur"; in vetere testamento paucis tantum atque dignissimis viris atque praecipue prophetis haec manifesta gratia data est, et hanc ob rem non erant multi, qui verum sensum veteris legis agnoscere poterant. [1])

Optime ergo Deus omnia pro hominum salute operatur: per incarnationem Verbi divini gratiae via nobis aperta est; et Spiritus sanctus per inhabitationem in animis nostris perficit et coronat opus Filii. Totius sanctorum corporis caput est Christus, anima autem sanctificans Spiritus sanctus, ipsi autem sanctificati et iusti sunt partes et membra. [2])

Hanc, quam exposuimus, de hominis sublimitate et Dei participatione doctrinam, primi iam ecclesiae patres etiam sub alia ratione tractare solebant, cum sacrae scripturae verba sequentes hominem creatum esse dicerent ad Dei imaginem et similitudinem. Imaginem in eo inveniebant, quod est homo animal rationis et arbitrii compos, similitudinem dicebant esse supernaturalem gratiam sanctificantem, qua sumus filii Dei et ipsius divinae naturae participes. Quare imaginem perdi non posse, perdi posse gratiam docebant. Imaginem patres *εἰκόνα*, similitudinem nominabant *ὁμοίωσιν*; pauci tantum erant eorum, qui hac distinctione non uterentur. [3]) Etiam Origenes de duplici

---

[1]) Pr. II. 7. 2.

[2]) De his et sequentibus cf. Scheeben. Dogm. II. p. 313 sq.; 331 sq. Origenes, quamquam tam multis locis de hominis cum Deo participio agat, longe tamen abest a pantheismo. Si Philo, Plotinus, alii docebant hominis animam unius esse substantiae cum Deo, vel saltem partem huius divinae substantiae (cf. Haffner. Grundz. d Gesch. der Philosophie. p. 238), iam Clemens Alexandrinus his fortiter restitit dicens, nos nihil esse nisi creaturas animamque nostram *οὐ κατὰ τὴν τοῦ σπέρματος καταβολὴν γεννώμενον* (Strom. VI. p. 808), sed esse *κτίσιν τοῦ παντοκράτορος*, ib. III. p. 554. Si dicit nos esse Logi participes, haec participatio est *κατὰ δύναμιν*, non autem *κατ᾽ οὐσίαν*. Redep. I. p. 125; de Origene cf. infra p. 43 sq.

[3]) Ita iam s. Irenaeus, cf. Klebba l. c. p. 22 sq.; Scheeben l. c. II. p. 281. n. 675; Greg. Nyss. cf. Hilt. l. c. 76 sq.; Clem. Al etiam duas novit imagines: *εἰκών*, quae est imago Dei naturalis, *ὁμοίωσις* „ist die dem Willen Gottes und die dem Sinne und Vorbilde des Herrn entsprechende Gesinnung und Lebensführung, wodurch man zur Kindschaft und Freundschaft Gottes und zum ewig göttlichen Erbe gelangt. Dieses vollkommenste Ebenbild Gottes ist der Logos, der es nebst seinem Bilde dem Menschen aufprägt." Winter l. c.

hac hominis cum Deo imagine loquitur. Sed apertum est Adamantii de hac re sententiam non posse eandem esse, quam aliorum scriptorum, cum Origines omnes rationales creaturas simul et aequaliter putarit esse creatas, et per consequentiam de lapsu protoparentum multis locis allegorice agat. Si hanc ceterorum theologorum distinctionem sequens Origenes eam constanter in suum systema implicuisset, haec fere debebat esse eius sententia. Habebant spiritus, cum adhuc essent sine peccato, utramque imaginem; peccaverunt autem et *ὁμοίωσιν* amiserunt, quare animae, in corpora missae, naturalem Dei imaginem, *εἰκόνα*, retinuerunt, *ὁμοίωσιν* tamen in baptismate vel per sacramenta gratiae recipiunt; si autem non ita, vel si omnino non his in terris recipiunt *ὁμοίωσιν*, tamen, qui iuste vixerunt, in coelo, et qui damnati fuerant, in *ἀποκατάστασι τῶν πάντων* recipient similitudinem. Hoc certe sequitur ex primis Adamantii principiis, amisisse omnes rationales animas similitudinem Dei, sed omnes eam aliquando recuperaturos.[1])

Conabimur igitur, quae in scriptis Origenis de similitudine et imagine invenimus, quantum possumus, exponere, libenter tamen fatemur, hac in re multas Origenis locutiones ambiguas esse,

---

p. 60 Sed certe hac in definitione, quam profert Winter, non omnia continentur, quae pertinent ad similitudinem, et citamus eam tantum hoc loco, ut videri possit nosse iam Cl. Al. duplicem Dei imaginem. Cf. etiam Clem. Rom. ad Cor. I. 33. 4; ep. ad Diognet. X. 2; de Valentinianis cf. Irenaeum adv. haer. I. 5. 5. — Philo, Tatianus (orat. adv. Gr. c. 7) cet. nondum habebant hanc distinctionem, sed promiscue utebantur *εἰκόνος* et *ὁμοιώσεως* vocabulis.

[1]) Obicies forte Origenem, cum spiritus omnes nunc dicat nasci sine similitudine, fortasse omnes putasse spiritus etiam sine *ὁμοίωσι* creatos esse; sed credo iam contineri *ὁμοίωσιν* in magna perfectione, quam spiritibus praeexsistentibus attribuit; sed cum revera eos similitudine exornatos credidisse ex nonnullis eius scriptis probare possumus. Pr. II. 11. 3: „sapientiae escis nutrita mens ad integrum et perfectum, sicut ex initio factus est homo, ad imaginem et similitudinem Dei reparetur.“ Hoc autem non intelligendum est de protoplastis, quia eos ad imaginem tantum creatos fuisse dicit Origenes (cf. infra p. 44) dicitur ergo de animabus praeexistentibus; item Cels. VI. 44: diabolus erat is „qui primo fruentium pace, beateque viventium excidit felicitate“ „qui cum esset signaculum similitudinis et corona pulchritudinis in paradiso Dei, atque bonis veluti satiatur.“ *πρῶτος πάντων εἰρηνευόντων καὶ μακαρίως διαγόντων ἐκπεσὼν τῆς μακαριότητος* (hoc semper significat beatitudinem supernaturalem) . . *καὶ ὢν ἀποσφράγισμα ὁμοιώσεως καὶ στέφανος κάλλους ἐν τῷ παραδείσῳ τοῦ Θεοῦ* (Ezech. 28, 15) *οἱονεὶ κορεσθεὶς τῶν ἀγαθῶν ἐν ἀπωλείᾳ ἐγένετο.*

ita ut verum eius sensum nos repperisse speremus, non tamen certe sciamus.[1])

Homo ad imaginem Dei factus est, et huius imaginis vestigia anima nostra rationalis prae se fert, cum sit hominis pars praestantior, minimeque liceat quaerere imaginem Dei invisibilis in corpore nostro, tamquam in parte „viliore" et deteriore.[2]) Non quidem homo est ipsa imago Dei (*εἰκὼν τοῦ Θεοῦ*), sed tantum ad Dei imaginem creatus est; imago autem Dei est Verbum Dei, et ad hanc imaginem (*κατ' εἰκόνα*, i. e. *κατὰ λόγον*) factus est homo.[3]) In anima ergo nostra huius conditoris imaginis character impressus est,[4]) atque ipse „Filius Dei est pictor huius imaginis".[5]) Ex his, quae dicit Origenes Filium Dei esse pictorem huius imaginis, et iis, quae supra audivimus, a Filio nos habere, ut rationabiles simus, necessario sequitur, ad naturam pertinere, ad imaginem Dei creatum esse. Hanc ob rem haec in nobis divini Verbi impressa imago amitti aut deleri nunquam potest.[6])

---

[1]) De difficultatibus, quae in interpretando Adamantio nobis oriuntur, cf. Denis. l. c. p. 31: „je vois le résultat des méditations et des recherches de ce Père; j'entends à peu près en détail ce qu'il veut dire; oserai-je affirmer que je le comprenne réellement"?

[2]) Cels. VI. 63; Prol. in cant. cant.; Com. in ep. ad Rom. IV. 13; in Joan. tom. XX. 20; corpus nostrum non potest esse ad imaginem Dei, quia non licet putare Deum constare ex materia. Cels. VI. 63; VIII. 49; hom. in Gen. I. 13.

[3]) De patrum interpretatione eius, quod dicitur *κατ' εἰκόνα*, cf. Scheeben, l. c. p. 121. n. 324.

[4]) Cels. VIII. 49: *ψυχὴν γὰρ παντὸς σώματος, καὶ μάλιστα τὴν λογικήν, φάμεν εἶναι πρᾶγμα τιμιώτερον· εἰ καὶ τὸ κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος ψυχὴ μὲν χωρεῖ, οὐδαμῶς δὲ τὸ σῶμα, οὐδὲ γὰρ καθ' ἡμᾶς σῶμα ὁ Θεός· ἵνα μὴ περιπέσωμεν, οἷς περιπίπτουσιν ἀτόποις οἱ τὰ Ζήνωνος καὶ Χρυσίππου φιλοσοφοῦντες*, cf. Pr. I. 1. 7: „propinquitas quaedam mentis ad Deum, cuius et ipsa mens intellectualis imago sit, et per haec possit aliquid de divinitatis sentire natura, maxime si expurgatior et segregatior sit a materia corporali." Non plane cum vera doctrina Origenis congruit hoc loco Rufini versio, quae ipsam mentem imaginem esse dicit Dei. In doctrina scriptoris Alexandrini imago Dei ipse est Logos, uti apertissime Origenes docet (cf. infra p. 45. adnot. 1), et ad hanc imaginem factus est homo. Cf. ib. l. c. p. 44. adnot. 2.

[5]) Ad Eph. XIII. 4; h. in Jes. Nav. XIV. 1.

[6]) Non licet, quod facit Celsus, homines cum vermiculis conferre: *τοὺς δυνάμει ἔχοντας τὴν ἀρετὴν καὶ τὰ σπέρματα αὐτῆς πάντη ἀπολέσαι μὴ δυναμένους*. Cels. IV. 25. *οὐδὲ γὰρ τὰς κοινὰς ἐννοίας περὶ καλῶν καὶ δικαίων καὶ αἰσχρῶν καὶ ἀδίκων εὕροι τις ἂν πάντως ἀπολωλεκότας*. Cels. VII. 52: „quia talis ac tantus est pictor, imago eius obscurari per incuriam potest, deleri per

Si, quid de similitudine Origenes crediderit, quaesieris, verbis ipsius auctoris respondeamus. Deus cum hominem crearet, dixit: „‚Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram‘. Tunc deinde addit (scriptura) ‚et fecit Deus hominem, ad Dei imaginem fecit illum‘, . . . hoc ergo, quod dixit ‚ad imaginem Dei fecit eum‘, et de similitudine siluit, non aliud indicat, nisi quod imaginis quidem dignitatem in prima conditione percepit: similitudinis vero perfectio in consummatione servata est, scilicet, ut ipse sibi eam propriae industriae studiis ex Dei imitatione consisceret, cum possibilitate sibi perfectionis in initiis data per imaginis dignitatem, in fine demum per operum expletionem perfectam sibi ipse similitudinem consummaret“. Etiam per apostolum Joannem (I. Joan. 3. 2) hoc confirmari putat theologus. „Per quod certissime indicat et finem omnium, quem adhuc sibi dicit ignotum, et similitudinem Dei sperandam, quae pro meritorum perfectione praestabitur. Ipse quoque Dominus in Evangelio haec eadem non solum futura designat (Joan. 17. 21) . . in quo iam videtur ipsa similitudo, si dici potest, proficere, et ex simili unum iam fieri, pro eo sine dubio, quod in consummatione vel fine omnia et in omnibus Deus est.“ [1]) Simili modo loquitur Alexandrinus in apologia contra Celsum scripta, et adversario crimini vertit, quod nesciat, „quid intersit discriminis inter ‚fieri hominem ad imaginem Dei, et fieri ad similitudinem‘.“ Deum enim nos creasse „ad imaginem Dei“ „non vero tunc ad similitudinem“ Dei. [2])

Ex his, ut mihi videtur, certum est Origenem *ὁμοίωσιν* hominibus his in terris viventibus non ascribere, sed eam nobis in aeterna beatitudine assequendam promittere. Nimirum agitur

---

malitiam non potest. Manet enim semper imago Dei in te, licet tu ipse superducas imaginem terreni.“ ad Eph. XIII. 4; cf. etiam: „duae sunt imagines hominis, una, quam accepit a Deo factus in principio, sicut in Genesi scriptum est, ‚iuxta imaginem et similitudinem Dei‘; altera choici i. e. terreni, postquam propter inobedientiam atque peccatum eiectus de paradiso assumpsit eam principis saeculi huius suasus illecebris.“ H. in Luc. XXXIX. cf. infra de virtutibus.

[1]) Pr. III. 6. 1.

[2]) *διαφορὰν τοῦ κατ᾽ εἰκόνα Θεοῦ γεγονέναι ἄνθρωπον πρὸς τὸ καθ᾽ ὁμοίωσιν . . ἐποίησε δὲ ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον κατ᾽ εἰκόνα Θεοῦ ἀλλ᾽ οὐχὶ καθ᾽ ὁμοίωσιν ἤδη.* Celsus, si hoc recte intelligeret, *οὐκ ἂν ἐποίει ἡμᾶς λέγοντας, ὅτι πάντῃ ὅμοιοί ἐσμεν τῷ Θεῷ.* Cels. IV. 30.

hoc loco praecipue de similitudinis vel *ὁμοιώσεως* verbo; quod ad rem spectat, Origenes, ut ex supra dictis patet, non dissonat a patrum sententia communi; etsi ergo veram ac propriam Dei similitudinem in „fine“ reponit, tamen secundum eius doctrinam in tantum sumus similes Dei, in quantum habemus gratiam sanctificantem et imitamur Dei virtutes.

Ceterum non mirum est Origenem multis locis promiscue uti imaginis et similitudinis verbis, idque facere videtur, cum dicit menti nostrae imaginem et similitudinem Dei impressam esse. [1]) Vera tamen similitudo fructus et praemium erit in coelis meritorum nostrorum, ea autem, quam his in terris habemus in statu gratiae, non est propria et summa similitudo, quia amitti potest, illa non amittitur. Maximo autem labore niti debemus, ut tantum Dei donum a nobis digne colatur et servetur. Abicere ergo oportet veterem hominem cum operibus suis, id agendum, ut perfecti simus, sicut Pater coelestis perfectus est; ut „anima virtutibus ornata Dei characteres“ suscipiat. Ita si facimus, vere „secundum imaginem Dei sumus“, Deum ipsum in animam suscipimus et ipsum corpus nostrum ad magnum honorem praeparamus: fit enim templum Dei. [2]) Propterea enim fecit nos Deus ad imaginem

---

[1]) H. in Levit. IV. 3: „videamus nunc, quod est depositum, quod fidelium unusquisque suscepit . . animam nostram et corpus depositum accepimus a Deo . . . ipsi animae tuae Deus imaginem suam et similitudinem commendavit. Istud ergo depositum tam integrum tibi restituendum est, quam a te constat esse susceptum. Si enim sis misericors, sicut pater tuus in coelis misericors est, imago Dei in te est, et integrum depositum servas . . . Omnia, quae in Deo praesto sunt per naturam, si tibi per imitationem subsistant, depositum apud te divinae imaginis salvum est. Si vero contrario agas . . abiecta imagine Dei, diaboli in te imaginem suscepisti, et bonum depositum tibi divinitus commendatum abnegasti.“ In Gen. h. I. 14: „is autem qui ad imaginem Dei factus est et ad similitudinem, interior homo noster est invisibilis et incorporalis et incorruptus atque immortalis. In his enim talibus Dei imago rectius intelligitur.“ Ad Dei imaginem facti sumus. „Quae est ergo alia imago Dei, ad cuius imaginis similitudinem factus est homo, nisi Salvator? Ad huius ergo imaginis similitudinem homo factus est, et propterea Salvator noster, qui est imago Dei, misericordia motus pro homine, qui ad eius similitudinem factus fuerat, videns eum deposita sua imagine, maligni imaginem induxisse, ipse motus misericordia, imagine hominis assumpta, venit ad eum“ . . . „apostoli se ad eius (Christi) similitudinem reformarunt.“

[2]) *ἀναλαμβάνει εἰς τὴν ἑαυτοῦ ενάρετον ψυχὴν τοὺς χαρακτῆρας τοῦ Θεοῦ· ὅτι καὶ ναός ἐστι τοῦ ἐν τῷ κατ᾽ εἰκόνα ἀνειληφότος Θεοῦ τὰ τοῦ Θεοῦ τὸ σῶμα*

suam, ut creatori digne et constanter serviamus, eiusque virtutes imitemur, minime autem, ut peccati simus obnoxii.[1] Si ergo diligenter virtutis studio nos dedimus et Christi et Dei virtutis imitatores sumus, tunc demum sumus vera imago Dei et gloria Dei, nam „omnis vir, cuius caput est Christus, imago et gloria est Dei".[2] Quia tamen non omnes homines eadem diligentia divinae imagini excolendae student, non in omnibus haec divinitatis effigies eodem modo expressa invenitur, uti aperte docet auctor dicens: „quem ad modum vultus non sunt similes vultibus, sic nec similia cordibus corda sunt; unde patet cordibus inter se differre homines tam eos, qui ad bonum propensi sunt, si quidem similes inter se ad id non sunt formati, quam eos, qui honesti negligentes in contraria praecipites ruunt".[3]

τοῦ τοιαύτην ἔχοντος ψυχήν, καὶ ἐν τῇ ψυχῇ διὰ τὸ κατ' εἰκόνα τὸν Θεόν. Cels. VI. 63; de orat. 17; cf. etiam Cels. IV. 82; V. 23.

[1]) Com. in ep. ad Rom. VI. 14.

[2]) *πᾶς ἀνήρ, οὗ Χριστός ἐστι κεφαλή, εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ ὑπάρχει.* Cels. VI. 63; cf. I. Cor. XI, 3. 7. Irenaeus adv. haer XX. 7: „gloria Dei vivens homo."

[3]) Cels. VI. 45.

II. De fine hominis.

Qualis sit homo, et quibus facultatibus sit ornatus, iam cognovimus; cum autem actiones hominis tunc tantum magni aestimandae sint, si consentientes sunt cum fine eius ultimo, qualem putet esse hunc hominis finem Alexandrinus, videamus.

Mundus et omnes in eo res a bonitate omnipotentis creatoris omnino pendent. Creator quidem, cum haberet in se omnem perfectionem, mundo minime indigebat; cum tamen eum crearet, ut sapiens fabricator finem omnibus rebus posuit, „propter" quem et ad quem sunt creatae. Hic autem finis nullus alius esse potest, nisi Deus ipse, uti recte dicit Origenes: Deus, cum quae vellet, faceret, „nullam habuit aliam creandi causam, nisi propter se ipsum, i. e. bonitatem suam." [1]) Hic cum sit, uti vocamus, finis creationis primarius, alius est rationabilibus creaturis finis secundarius, qui in ipsarum beatitudine consistit. Multa quidem ethnici philosophi de hac hominis beatitudine disputaverunt, primaque horum philosophorum in tractanda ethica quaestio hanc

[1]) Pr. II. 9. 6; ita Plato et Philo docuerant, quorum doctrinam amplexus est Clem. Al. Strom. II. p. 444; Irenaeus. adv. haer. IV. 14. 1: „igitur initio, non quasi indigens Deus hominis, plasmavit Adam, sed ut haberet, in quem collocaret beneficia." Congruit plane cum his, quae in quarto principiorum libro dicit Origenes: „volens Deus, qui natura bonus est, habere, quibus benefaceret, et qui adeptis beneficiis suis laetarentur." Ita ergo quaerit Deus gloriam suam, ut eam ponat in participatione beneficiorum suorum creaturis donanda. Huc etiam addi potest, quod dicit Alexandrinus de numero creaturarum. Deus enim, uti dicit, tot creavit, quot omnipotentia complecti et gubernare potest. „Auch Irenäus lehrte eine bestimmte Anzahl der Seelen, die Gott ins Dasein ruft, wie Plato aus Scheu vor dem Maßlosen." Redep. II. p. 314; Iren. ad haer. II. 35. 5. — In Ps. XXXVIII. h. 1. 8. mundum „propter finem" creatum dicit Origenes, „ad quem finem utique festinandum est, ut sit operae pretium hoc ipsum, quod a Deo creati sumus."

summam perfectionem spectat, sed audi, quantum christianus philosophus omnes hac in re superaverit.

Unum tamen hac in re oblivisci non debemus: cum omnes spiritus a Deo creati, uti supra iam diximus, ab eo defecerint, finis obiectivus, et ut ita dicam, generalis omnium rationabilium creaturarum est, eum statum, quo apud Deum fuerunt ante lapsum, rursus consequi et ita beatitudine perfrui. Nostrum ergo nunc est, qualem hunc finem pro singulis esse putarit Origenes, perquirere.

Homo, ut supra dictum est, factus est a Deo, et naturalem quandam consanguinitatem et cognationem cum eo habet [1]; rectum ergo arbitrari possumus, quod ipsi multi philosophi, licet non tam ipsorum investigatione, quam ex divinis libris assumptum docuerunt: hoc esse summum bonum, omniumque naturarum rationabilium finem, prout possibile sit, similem fieri Deo. [2]) Atque hunc scopum assequemur, si vita hac calamitatibus plena et hoc „primo maximoque animae certamine“ [3]) bene perfuncti, legibus Dei semper observatis omnibusque actionibus nostris ad Deum quasi ad „testem et spectatorem“ [4]) relatis, tunc „a creatore agniti“ [5]) recipimur in coelum ad Deum. Tunc ad summum pervenit in coelestibus vita nostra, [6]) haec beatitudo est appetendorum ultimum, [7]) summum bonum ac

---

[1]) Cels. III. 40: animam ad Deum, „naturam sibi affinem“, respicientem Origenes „naturalem amorem in creatorem“ concipere dicit, ἡ λογικὴ ψυχὴ . . τὸ συγγενὲς ἐπιγνοῦσα, . . φίλτρον ἀναλαμβάνει φυσικόν, τὸ πρὸς τὸν κτίσαντα, καὶ διὰ τὸ πρὸς ἐκεῖνον φίλτρον ὑπεραποδέχεται. Pr. I. 1. 7: „propinquitas quaedam mentis ad Deum.

[2]) „Igitur summum bonum, ad quod natura rationabilis festinat, quod etiam finis omnium dicitur, a quamplurimis etiam philosophorum hoc modo terminatur, quia summum bonum sit, prout possibile est, similem fieri Deo. Sed hoc non tam ipsorum inventum, quam ex divinis libris ab eis assumptum puto.“ Princ. III. 6. 1; de hoc Platonis principio plura cf. Denis, l. c. p. 348, 349. Cf etiam infra de notione boni.

[3]) τὸ μὲν κυρίως καὶ ἀληθῶς ζῆν μακάριον οὐκ εἶναι ἐνταῦθα, ἀλλ' ἐν τῷ καλουμένῳ κατὰ τοὺς λόγους αὐτοῦ μέλλοντι αἰῶνι· τὸν δ' ἐν τῷ ἐνεστῶτι αἰῶνι λεγομένῳ ζῆν συμφορὰν εἶναι ἢ ἀγῶνα τὸν πρῶτον καὶ μέγιστον τῆς ψυχῆς. Cels. II. 43.

[4]) Cels. III. 57.

[5]) H. in Gen. IV. 6.

[6]) In Ps. XXXVIII. h. I. 8

[7]) εὐδαιμονία . . . ὅ δὴ ἔσχατόν ἐστι τῶν αἱρετῶν. Sel. in Ps. M. 12. p. 1054. A.

vita aeterna, [1]) haec sunt coelorum regna, quod est omnino beatitudinis culmen. [2]) Beati ergo, qui ad hanc pervenerint beatitudinis summam! [3])

Ne vero arbitremur esse mere naturalem hanc summam hominis beatitudinem, eamque naturali cursu rerum humanarum posse acquiri. Ut enim multa in hac vita inveniuntur, quae supra naturam sunt, e. g. quod hominem Deus per gratiam participem facit „melioris et divinioris naturae", eumque ita elevatum hoc in statu conservat, quamdiu homo ipse per gesta sua ita se velle probat: [4]) certissime haec haereditas regni coelorum donum est Dei longe superans vires et spem humanae creaturae. Nostra haec spes spei Abrahae est simillima. Hic enim, cum ipse et uxor iam senuissent, tamen contra omnem spem in spem se procreaturum filium credidit, atque ita etiam, quae nos speramus, „quantum ad naturam humanam spectet, contra spem videntur, quantum autem ad potentiam Dei, in spem creduntur." [5]) Huc etiam adde, quod propriis viribus nihil facere possumus, ut mereamur donum hoc supernaturale; plane ergo est indebita nobis beatitudo, licet a Deo promissa; „quid enim aliquis aeterna beatitudine dignum fecit"? [6]) In describenda hac divina beatitudine tantum rapitur Origenes, ut saepius sperandarum rerum mensuram excedat. Recte dicit beatitudinem primarie consistere

---

[1]) Com. in ep. ad Rom. III. 1.

[2]) H. in Levit. XIV. 3.

[3]) H. in Num. XXVIII. 4; aliis verbis beatitudo appellatur ab Origene *μακαριότης*, Cels. III. 59; *ἡ παρὰ Θεῷ μακαριότης*, ibid. III. 47; *ἡ μέλλουσα μακαρία ζωὴ, τὸ τέλος μακάριον*, ibid. III. 81; III. 57; IV, 32; *ἡ τοῦ Θεοῦ κοινωνία*, ib. III. 56; *ἡ παρὰ τῷ Θεῷ μακάριος ζωὴ*, Cels. II. 48; cf. ib. III. 80; IV. 17; *τελειωθέντες* erimus *ἰσάγγελοι*. ib. IV. 29.

[4]) *ἐροῦμεν ὅτι ὡς πρὸς τὴν κοινοτέραν νοουμένην φύσιν ἐστί τινα ὑπὲρ τὴν φύσιν, ἃ ποιῆσαι ἄν ποτε Θεὸς ὑπὲρ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ἀναβιβάζων τὸν ἄνθρωπον καὶ ποιῶν αὐτὸν μεταβάλλειν ἐπὶ φύσιν κρείττονα καὶ θειοτέραν κ. τ. λ.* Cels. V. 23.

[5]) Com. in ep. ad. Rom. IV. 6.

[6]) *τί γὰρ ἄξιόν τις πεποίηκεν αἰωνίου μακαριότητος;* Sel. in Ps. CXVIII. vers. 156. Deus supra omnia merita remunerat, cf. Denis. l. c. p. 272: vita aeterna gratiae Dei debetur, etsi nos propter arbitrii libertatem eam a Deo promissam nobis mereri possumus, in ep. ad Rom. IV. 1. Omnis omnino gratiae ordo et oeconomia ad hunc finem spectat, ib. V. 2—3; cf. ibid. IV. 5: „et in praesenti ergo loco ostendere volens (apostolus) Deum haereditatem promissionum non ex debito sed per gratiam dare, dicit, quia haereditas a Deo his, qui credunt, non ex mercedis debito sed fidei munere concedatur."

in cognitione Dei; quod quidem iam sequitur ex iis, quae multa disseruit de natura hominis, de innato nobis amore scientiae, de progressu cognitionis Dei, quam potest acquirere mens nostra, dum sumus in terra, cet. Quae ergo naturaliter appetimus, cognitionem rerum et Dei, haec ad summum vocantur, si finem nostrum in coelis assecuti erimus; merito ergo dicere possumus, vocatos nos esse ad Dei cognitionem,[1] et „portionem nostram“ esse cognitionem Dei,[2] i. e. mente eum videbimus et cognoscemus.[3] Haec est magna illa differentia inter hanc, quam nunc habemus, et quam speramus, cognitionem Dei: adhuc in imagine et aenigmate sumus, — „imago enim dicitur hoc, quod recipitur ad praesens et intueri potest humana natura“,[4] — sed non possumus in praesenti vita cognoscere, sicut oportet scire. In imagine ergo scientiae et non in ipsa scientia versamur, per quam facie ad faciem cognoscitur. Ambulamus adhuc in imagine sapientiae et iustitiae, „neque enim capere poterit humana natura hac in vita undam ipsam iustitiae sinceramque veritatem ferre et tolerare secundum naturae suae potentiam ac virtutem“.[5] Nulla autem tunc, patris coelestis cum amici facti erimus, nobis erit cognitio „per aenigmata aut undâ vocum vel dictorum vel

---

[1]) Com. series in Matth. 2.

[2]) Sel. in Ps. IL. 18: *ἡ μέρις ἡμῶν ἐστιν ἡ γνῶσις τοῦ Θεοῦ.* Sel. in Ps. LXXXV. 2: *ἡ γνῶσις ἡ τοῦ Θεοῦ σωτηρία ἐστι ψυχῆς.* ib. LXXXVIII. 18: *ὑψοῦται δὲ νοῦς διὰ γνώσεως Θεοῦ.*

[3]) Hoc, quod Scriptura vocat „Deum videre“, est „mente eum videre et cognoscere“. Pr. I. 1. 9. Cf. infra p. 53. adn. 4.

[4]) In Ps. XXXVIII. h. I. 2; Sel. in Ps. CXVIII. 117. Etiam Clem. Al. docuerat his in terris cognitionem nostram non esse perfectam. Propter peccata nostra et infirmitatem nostram cognitio semper manet imperfecta. (Strom. I. p. 324.) Ipsa magna quam *γνῶσις* praebet cognitio, multum ab omni vel summa perfectione abest, (ib. VI. p. 774) et indiget perfectione vitae futurae, in qua videbimus facie ad faciem. (ib. V. p. 732; VI. p. 804; Paedag. I. p. 120.) Magna ergo est differentia inter praesentem et futuram cognitionem, inter *ἄφιξιν πρὸς τὸ πέρας* et *πρόληψιν ἀφίξεως*, cf. Redep. l. c. I. 147, 148; ib. I. 360 de Origene: „Wie Klarheit des Geistes und Reinheit des Herzens, Irrtum und Sünde immer einander bedingen (Sel. in Ps. p. 676; Ser. in Matth. p. 838), so kann auch hier nicht die ganze Wahrheit kund sein, weil hier niemand ganz von Sünden rein, von störenden Anfechtungen frei ist.“ Sed haec certe non est unica causa, cur omnia non possumus cognoscere; plurima cognoscere non possumus, quia supra cognitionem nostram sunt; cf. supra p. 32, 39.

[5]) Exh. ad mart. 13.

signorum vel figurarum, sed intelligibilium rerum naturam aut veritatis pulchritudinem" attingemus. [1])

Non autem terrestria tantum mysteria cognoscemus tali modo, sed etiam coelos et coelestia quaeque penetrabimus. [2]) Eritque haec scientia non simplex cognitio, sed plenus intellectus; sperare enim debemus omnia, quae hic capere non possumus, tunc nos comprehensuros esse. [3]) Atque hoc ipsum Alexandrinus de mysterio sanctae Trinitatis affirmat, cum dicat finem rationalis creaturae esse cognitionem sanctae Trinitatis; [4]) itaque nos divinum hoc „sacramentum Trinitatis plene, et integre, et perfecte" mereri agnoscere, verbo quidem incarnato revelante. [5]) Omnis autem haec cognitio exoritur nobis ex intima unione, qua erimus coniuncti cum Deo. Erimus enim „in cognitione Patris formati omnes accurate Filius, ut nunc solus Filius novit Patrem." [6]) Facie ad faciem Deum videmus, quia Deus praebet secum nos „commisceri et uniri"; [7]) erimus enim vere „ex Deo geniti", fietque, ut animae nostrae „agglutinentur Domino", erimus „uniti sermoni illi, qui in principio erat apud Deum", atque plane cum eo erimus „unus spiritus"; [8]) ut brevi dicatur, „participatione et communione divinitatis illius" (Dei) erimus „deificati". [9])

---

[1]) Ib. l. c. Valde etiam convenit, si quis iam his in terris multa edoctus pervenit ad haec mysteria coelestia; quae enim hic multo cum labore ac studio acquisita sunt, tunc in melius reformantur, cet. Cf. in Ps. XXXVI. h. V. 1.

[2]) Exh. ad mart. 13.

[3]) H. in Jes. Nav. XXI. Ruf.

[4]) *πέρας ἐστὶ τῆς λογικῆς φύσεως ἡ γνῶσις τῆς ἁγίας Τριάδος.* Sel. in Ps. XXXVIII. Vers. 5.

[5]) „Ut agniti a Trinitate et nos sacramentum Trinitatis plene et integre et perfecte mereamur agnoscere, revelante nobis Domino nostro" H. in Gen. IV. 6.

[6]) *ἵνα γένωνται οὕτω ἐν τῇ γνώσει τοῦ Πατρὸς μορφωθέντες πάντες ἀκριβῶς Υἱὸς, ὡς νῦν μόνος ὁ Υἱὸς ἔγνωκε τὸν Πατέρα,* Com. in Joan. tom. I. 16.

[7]) *ἑνώσεως καὶ κοινωνίας ἀνακεκρᾶσθαι καὶ ἡνῶσθαι.* Ib. tom. XIX. 1. n. 284 et 285.

[8]) *κολλωμένων τῷ Κυρίῳ, καὶ ἑνουμένων τῷ ἐν ἀρχῇ λόγῳ κ. τ. λ.* Ibid. tom. XX. 14.

[9]) *αὐτόθεος μετοχῇ τῆς ἐκείνου θεότητος θεοποιούμενοι* (erimus) *οὐχ ὁ Θεὸς ἀλλὰ Θεός.* Ib. tom. II. 2. Exclusus certe his verbis est omnis pantheismi error, quia utitur Origenes, si hominem deificatum dicit vocabulo ‚Dei' sine articulo. Neoplatonici hominem cum Deo coniungi dicebant *ὡς κέντρον κέντρῳ συνάψας,* ita ut vix quidem de homine quidquam relinqueretur, imo homo penitus dimergeretur in divinam essentiam. Cf. Haffner l. c. p. 239. 240. Etiam multi patres similiter loquuntur de aeterna beatitudine, et nihil certe erroris

Quae in Dei hac intima societate videbimus, longa enarratione philosophus Alexandrinus explicat. Apostolus Paulus si dicit: „cupio dissolvi, et esse cum Christo“, quid aliud dicit his verbis, nisi „quod tunc, cum regressus esset ad Christum, omnium, quae geruntur in terris, manifestius agnosceret rationes, vel de homine vel de anima hominis vel de mente vel ex quibuscunque illis; qui sit spiritus, qui inoperetur, qui sit quoque vitalis spiritus, vel quae sit gratia, quae datur fidelibus Spiritus sancti“; videbimus ergo „veritatem“ et „rationes“ omnium legum veteris foederis, intuebimur etiam, „quae sit ratio animarum, quare diversitas animalium, vel eorum, quae in aquis vivunt, vel avium vel ferarum, quidve sit, quod in tam multas species singula genera deducuntur, qui Creatoris prospectus, vel quis per haec singula sapientiae eius tegitur sensus“. Omnes sciemus, „qua ratione radicibus quibusdam vel herbis associantur quaedam virtutes, et aliis e contrario herbis vel radicibus depelluntur; quae ratio apostatarum angelorum; quaeve causa, quod iis, qui eos non tota fide contempserint, vel adulari in aliquibus possunt vel erroris causa ac deceptionis exsistere. Sed et de singulis divinae providentiae iudicium discet, de his, quae accidunt hominibus, quod non fortuito vel casu accidunt, sed ratione quadam tam examinata, tam ardua, ut eam non solum sanctorum, sed fortassis omnium hominum ne numerus quidem praetereat capillorum“. [1])

Non tamen putat Origenes eos, qui bene moriantur, regnumque obtineant coelorum, has omnes cognitiones statim possidere, imo gradatim et multis saepe annis vel saeculis intercedentibus ab angelis edocti ad hanc perfectam cognitionem veniemus. Nam „putandum est, quod interim non parum temporis transeat, usque eorum tantummodo, quae super terram sunt, ratio post vitae abscessum dignis et bene meritis ostendatur, ut per eorum omnium agnitionem et plenae scientiae gratiam, laetitia inenar-

---

in eorum doctrina inveniri potest, etsi fortasse incautius his verbis utantur. Cf. Klebba. l. c. p. 186—188.

[1]) Pr. II. 11. 5. Sine ullo ordine, ut videtur, Origenes tam diversarum rerum notitias enumerat; ea, quae affert, sine dubio illis temporibus maximo studio perquirebantur, uti dicit etiam Schnitzer, l. c. p. 163. adn. „Rößler schließt hieraus, daß die Reihe von Fragen, die Origenes oben vorlegt, dasjenige enthalte, was sein und seiner Zeitgenossen Wißbegierde wesentlich beschäftigt hat, oder was man sonst für wichtige Probleme angesehen haben mag.“

rabili perfruantur". [1]) Quo quis ergo purius et sanctius his in terris vixerit, eo celerius perveniet ad hanc cognitionis perfectionem. [2])

Addo etiam haec: „Cum sancti ad coelestia loca pervenerint, tunc iam rationem astrorum per singulas pervidebunt, et sive animantia sunt, sive quidquid illud est, comprehendent; sed et alias rationes operum Dei, quas ipse eis revelabit, intelligent. Iam enim tamquam filiis rerum causas et virtutem suae conditionis ostendet; et docebit eos, quare illa stella in illo loco coeli posita est, et quare ab alia tanto dirimente spatio separatur; v. g. si propinquior fuisset, quid ex hoc esset futurum; si vero longius, quid accideret; aut si maior fuisset illa stella, quam illa, quomodo similis non servaretur universitas, sed in aliam quandam formam cuncta mutarentur". [3]) His omnibus cognitis sancti „venient ad ea, quae non videntur, vel ad ea, quorum sola nomina nunc audivimus, et ad invisibilia, quae multa quidem esse apostolus Paulus docuit, quae autem sint, vel quam habeant differentiam, ne exiguo quidem aliquo intellectu conicere possumus". Et ita „crescit per singula rationabilis natura mente et spiritu aucta" et „ad perfectam scientiam mens iam perfecta perducitur, nequaquam iam ultra istis carnalibus sensibus impedita, sed intellectualibus incrementis aucta, semper ad purum, et ut ita dixerim, facie ad faciem rerum causas inspiciens potitur perfectione primo illa, qua in id ascendit, secundo, qua permanet, cibos, quibus vescatur, habens theoremata et intellectus rerum rationesque causarum". Nimirum visionis haec perfectio, qua sancti Deum intellectualiter vident et cognoscunt, non est aequalis cognitioni, qua Deus se ipsum et omnes creaturas cognoscit, imo certam habet mensuram, sicut habere convenit conditioni mentis creatae. [4])

---

[1]) Pr. II. 11. 5.

[2]) Pr. II. 11. 6; cf. Atzberger l. c. p. 396, 398, sq.; Redep. II. p. 340 sq.

[3]) Pr. II. 11. 7; Sel. in Ps. CL. 5: „intellecta qualibet Dei magnitudine singulae quoque creaturae cognoscentur, nec non multitudo magnitudinis, cuius uniuscuiusque non erit finis;" — videbimus *τὸ θεωρητικόν*, in Joan. tom. I. 16; *ἡ τῶν νοητῶν καὶ ἀοράτων θεωρία*, Cels. III. 56; *ἡ θεωρία καὶ ἡ ἐν αὐτῇ τῶν δικαίων καὶ μακαρίων πανήγυρις.* Cels. VI. 61; cf. Cels. VI. 20; de orat. 11; in ep. ad Rom. VI. 3; exh. ad mart. 47; Com. in Joan. tom. XIX. 5; beatitudo in eo consistit, quod „intueri possumus sanctam ac beatam vitam." Pr. I. 3. 8.

[4]) „In omnibus autem cibus hic intelligendus est theoria et intellectus

Haec omnia si assecuti sumus, in ultimo quiescimus fine: voluntas nostra caritatis affectu intime coniuncta est summo bono amabili, [1]) intellectus omnem, quam decet nos cognoscere, veritatem cognovit, et causas rationesque omnium rerum, atque ipsum Deum visione videt beatifica, et hoc in statu plane similes erimus Deo, i. e. *ὁμοίωσιν*, quam nondum habemus in terris, tunc assecuti erimus. [2])

Quam perfecta Dei agnitio futura sit, ex hoc quoque colligas, quod non iam, ut nunc facimus, cognoscemus per singulos actus, sed tunc nobis cognoscendi Deum una erit actio in saecula perdurans. [3])

Hic ergo est finis noster ultimus: ad quem si pervenerimus, nihil ultra erit, quod appetat cor nostrum, cum omnia, quae naturaliter habemus desideria, uberrime compleantur, atque in Deo possideamus omnia. Tunc enim erit nobis beata satietas in apparitione et clara visione Dei gloriae, „haec enim est cibus, qui totam animae mensam replet, quam qui esurit, et salubriter appetit, ipso repletur, et satiabitur“, [4]) atque permagnum erit gaudium nostrum propterea, quod omnibus sensibus deliciabimur. [5])

Dei, habens mensuras proprias et competentes huic naturae, quae facta est et creata, quas mensuras singulos quosque incipientium videre Deum, i. e. intelligere per puritatem cordis, competit observare.“ Pr. II. 11. 7.

[1]) Cf. supra. p. 51.

[2]) Cels. IV. 30: *ἐποίησεν δ' ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα Θεοῦ, ἀλλ' οὐχὶ καθ' ὁμοίωσιν ἤδη.* Pr. III. 6. 1: „similitudinis vero perfectio in consummatione servata est.“ cet. cf. supra p. 44.

[3]) *τότε γὰρ μία πρᾶξις ἔσται τῶν πρὸς Θεὸν διὰ τὸν πρὸς αὐτὸν Λόγον φθασάντων ἡ τοῦ κατανοεῖν τὸν Θεόν· ἵνα γένωνται οὕτω ἐν τῇ γνώσει τοῦ Πατρὸς μορφωθέντες πάντες ἀκριβῶς Υἱός, ὡς νῦν μόνος ὁ Υἱὸς ἔγνωκε τὸν Πατέρα.* Com. in Joan. tom. I. 16; cf. Thom. Aq. S. th. II. I. q. 3. a. 2. ad 4: „una et continua et sempiterna operatione in illo beatitudinis statu mens hominis Deo coniungitur.“

[4]) *ὁ δὲ μακαριζόμενος χορτασμὸς ἔσται ἐν τῷ ὀφθῆναι καὶ τρανωθῆναι τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ. αὕτη γάρ ἐστιν ἡ πᾶν τὸ ἐλεὸν τῆς ψυχῆς ἀναπληροῦσα τροφή, ἧς ὁ πεινῶν καὶ ὑγιεινῶς ὀρεγόμενος χορτασθήσεται πληρούμενος αὐτῆς.* Sel. in Ps. XVI. vers. 15.

[5]) „Omnibus sensibus deliciabitur in Verbo Dei, qui ad summam perfectionis ac beatitudinis venerit.“ In cant. cant. lib. I. vers. 1, 2, 3. — Falsum tamen est exspectare in beatitudine luxuriam et delicias mere sensibiles: „quidam ergo laborem quodammodo intelligentiae recusantes et superficiem quamdam legis litterae consectantes, et magis delectationis suae quodammodo et libidini indulgentes, solius litterae discipuli (sc. chiliastae), arbitrantur repro-

Si, quomodo fieri possit, ut mens humana ipsam divinam spectet essentiam, quaeramus, satis recte in illuminatione et elevatione intellectus humani hanc videndi Deum facultatem positam esse dicit Origenes. Dicit enim nos fore divinitatis capaces, neque in substantiis corporalibus nos Deum visuros, sed facie ad faciem, sc. divino lumine illuminatos et radiatos. [1]) Et alio loco nos a vero et indeficiente scientiae lumine mente illustratos appellat, ad illa spectanda, quae per illud lumen conspicabilia tunc nobis erunt. [2])

Praeter omnia haec, quae veram atque propriam beatitudinem continent, multa sunt et varia accidentia, per quae beatitudo essentialis vehementer augetur. Absunt enim omnia mala, quibus hominum in terra felicitas minuitur. Non iam est defatigatio in corpore, [3]) — si quidem corpus, quod nunc habemus terrenum, in resurrectione mortuorum spiritale et incorruptibile effectum, particeps erit huius divinae felicitatis, [4]) — imo difficile est dictu, quantus decor, quantus splendor et fulgor sit corporis spiritalis. Neque enim esurient sancti neque iam sitient; neque dormitabunt neque laborabunt, sed erunt pervigiles, sicut an-

missiones futuras in voluptate et luxuria corporis exspectandas, et propterea praecipue carnes iterum desiderant post resurrectionem, tales, quibus manducandi et bibendi et omnia, quae carnis et sanguinis sunt, agendi nunquam desit facultas, apostoli Pauli de resurrectione spiritalis corporis sententiam non sequentes." Princ. II. 11. 2; „quibus consequenter addunt et nuptiarum conventiones, et filiorum procreationes etiam post resurrectionem facturas." Ib. l. c. Origenes delicias in coelo sperandas omnes spirituales esse dicit; cf. „quibus sapientiae escis nutrita mens ad integrum et perfectum, sicut ex initio factus est homo, ad imaginem et similitudinem Dei reparetur, ut etiam, si quis ex hac vita minus eruditus abierit, probabilia tamen opera detulerit, instrui poterit in illa Jerusalem sanctorum civitate, i. e. doceri et informari." cet. Pr. II. 11. 3. Plura de hac re invenies: Pr. IV. 22; in Ps. XXXVI. 9. Sel. in Ps. IV; in Matth. tom. XVII. 35; Cels. II. 5. Prol. in cant. cant.: „ut etiam post resurrectionem cibis corporalibus utendum crederent, potumque sumendum."

[1]) „Non per speculum in aenigmate, neque in substantiis corporalibus, sed facie ad faciem videbunt, sapientiae illuminatione radiati et verae divinitatis capaces per puritatem cordis effecti." H. in Num. XXI. 1.

[2]) *τυπούμενοι ὑπὸ τῆς αὐτοαληθείας, καὶ ἐν φωτὶ τῷ ἀληθεῖ καὶ ἀλήκτῳ τῆς γνώσεως τὸν νοῦν καταλαμπόμενοι, πρὸς τὴν θέαν τῶν δι᾽ ἐκείνου τοῦ φωτὸς θεωρεῖσθαι πεφυκότων, ὑπὸ ὀφθαλμῶν φωτιζομένων ὑπὸ τῆς τοῦ Κυρίου ἐντολῆς.* Exh. ad mart. 47. Etiam Kohlhofer, qui hunc Origenis libellum vertit in linguam vernaculam nostram, (Kempten, 1874) hunc locum ita interpretatur.

[3]) Cels. VI. 61. Cf. Cic. Tusc. quaest. V. 10: „videamus, qui dicendi sint beati. Equidem hos existimo, qui sint in bonis, nullo adiuncto malo." Ib. ita definitur beatitudo: „secretis malis omnibus cumulata bonorum complexio."

[4]) Pr. III. 6. 6.

geli. [1]) Cum autem mentis prima et unica fere sit actio cognoscendi Deum, etiam ab ea ablata est omnis obscuritas et dubitatio, itaque diligenter et sine ullo timore erroris divinis mysteriis adhaerebit. [2]) Aufugerit etiam ab hac beata vita omnis moeror et dolor omniaque suspiria: [3]) omnis tristitia et gemitus. [4]) Erit omnino in fine illo beato requies perfecta, erit ergo verum sabbatum, in quo requiescet Deus, [5]) et creaturae cum eo; et cum nemo eorum iam dissideat, nemo discordet, cum nihil timendum, nihil hostile sit, meritissimo haec beatitudo etiam pax vocatur [6]) et requies *(ἀνάπαυσις)*, [7]) cuius pacis et requiei futurae sensum et praesumptionem ipsis in terris habuerunt sancti, qui pugnantes adversus malignos hostes, per hoc „impacati" erant secum et in pace cum Deo. [8]) Tunc in coelis sancti Deo semper assistent, et offerent sacrificium indesinens; [9]) ibi beati dies festos agent, ubi altare divinum perpetuis ignibus „adoletur": ibi Paschae semper et Pentecostes solemnitas, et non iam per umbram sed per ipsam speciem, rerumque veritatem celebrabitur. [10]) Minime fieri potest, ut homo, si hanc beatitudinis perfectionem [11]) gustaverit, umquam satietate vel taedio afficiatur; et quod non iam est ultra boni malique discretio, quia nusquam est malum, [12]) nullus porro huius status erit finis. Sic etiam finis ad principium

---

[1]) H. in Num. XXIII. 11.

[2]) Com. in Joan. tom. II. 4.

[3]) Ibid. l. c.

[4]) Pr. I. 8. 3; h. in Num. XXIII. 4.

[5]) Ib. l. c.

[6]) Com. in ep, ad Rom. IV. 8.

[7]) Exh. ad mart. 47: „beatitudinis requie perfruamur"; *σὺν Χριστῷ Ἰησοῦ τὴν οἰκείαν τῇ μακαριότητι ἀνάπαυσιν ἀναπαυσώμεθα.* Ita multi patres Apostolum (Hebr. 4.) imitati; cf. Clem. Al. Paed. I. 13: *τέλος δέ ἐστι θεοσεβείας ἡ ἀΐδιος ἀνάπαυσις ἐν Θεῷ.* Iren. adv. haer. IV. 29. 3: „subiectio autem Deo requietio est aeterna." Aug. ep. 55. (al. 119) 9. 17: „requies est quaedam ab omni labore omnium molestiarum sancta atque perpetua. Inest autem in illa requie non desidiosa segnitia, sed quaedam ineffabilis tranquillitas actionis otiosae. Sic enim ab huius vitae operibus in fine requiescitur, ut in alterius vitae actione gaudeatur." Origenes coelum pluries civitatem Dei appellat, *πόλις τοῦ Θεοῦ*. Ter inveni hoc dictum in Ps. XXXVIII. 2. 1; item Sel. in Ps. XLVII. 2.

[8]) Com. in ep. ad Rom. IV. 8.

[9]) H. in Num. XXIII. 4.

[10]) H. in Num. XXVIII 4.

[11]) Pr. III. 6. 2.

[12]) Pr. III. 6. 3.

reparatus est, et Deus erit omnia, sc. post consummationem mundi, in omnibus. [1])

Cum permagnum valorem in Origenis doctrina habeat arbitrii libertas, gradus dicit auctor esse coelestis beatitudinis, et ex varia hominum virtute et operatione diversos hos beatitudinis gradus statuit. Quamquam enim essentialiter una omnium est beatitudo, tamen pro viribus et meritis uniuscuiusque in hoc statu sunt diversitates. Sine dubio enim unusquisque tunc erit eodem in ordine, quem merita gestorum ei contulerunt; ex meritis et actibus praestabitur diversitas translationis et gloriae. [2]) Etiam hoc scire iuvabit esse iam in Origenis doctrina vestigia quaedam theologematis illius scholastici de aureola coelesti, qua, qui praestantiores fuerint meritis, coronabuntur. Duos enim generatim posuit Origenes sanctorum gradus; [3]) ab alteris, qui habebunt quidem regnum coelorum, (auream, [4]) uti posteri dicunt,) nequaquam tamen „coronabuntur a Christo", distinguit superioris gradus illos sanctos, qui non habentes rugam aut maculam coronabuntur ab eo. [5]) Christus nempe bene noscit, quantum quisque pro ipso laboraverit, et quosdam, quos abundantius quam ceteros laborasse cognoscit, propter gesta haec magnifica sublimesque virtutes, sanctos illos praecipuos et eximios, ad praecipuos etiam honores et eximios atque, ut ita dicam, similes sibi decernit et glorias. [6]) Sancti hi singulari honore a Deo remunerandi sunt doctores, virgines, martyres, quos primogenitos vocat Origenes, ad quos etiam eos computare videtur „qui post coniugium continenter et caste vixerunt". [7])

---

[1]) Ib. l. c.

[2]) H. in Num. I. 3; h. in Jes. Nav. X. 1: „multae eorum, qui ad salutem veniunt, differentiae."

[3]) H. in Luc. XIX.

[4]) Cf. Thom. Aq. Suppl. III. q. 96. a. 1.

[5]) H. in Luc. XIX.

[6]) H. in Num. XXI. 3.

[7]) H. in Num. XXI. 3; h. in Luc. XVII; ad hoc et ad ea, quae de profectibus beatitudinis supra dicta sunt, cf. Atzberger l. c. p. 398; movet Atzb. l. c. quaestionem, ‚ob die niedere Seligkeit für die betreffende Seele das eigentliche Endstadium, oder vielleicht dennoch nur ein Durchgangsstadium sei. Dem Systeme des Origenes entspricht die zweite Vorstellung jedenfalls mehr, als die erste. Er lehrt darum auch anderwärts, daß die Heiligen, wenn sie allseitig geläutert sind, alle in gleicher Weise glänzen, gleichsam eine Sonne sein werden (Matth. tom. X. 2—3), daß sie alle den gleichen Lohn, ihr Heil

Quae ita de fine hominis ultimo et de beatitudine in Deo quaerenda scripserit Alexandrinus theologus, si consideraverimus, omnia, quae a philosophis, imo etiam a theologis, pertinere ad notionem beatitudinis dicuntur, ab eo recte et pulchre concinnata esse invenimus. Est enim haec summa et culmen beatitudinis, quae continet in se omnia bona spectantia ad naturae nostrae desiderium; est bonum universale et absolutum et perfectum, ultra quod iam non est desiderium; est perfectio omnium tum corporis cum animae potentiarum. Praeterea omnis fugatus est timor et formido, ne decidant quando ex hoc statu, quod valde ad perfectam beatitudinis definitionem attinet; est ergo vita „aeterna", et sancti ipsi eam esse „aeternam" sciunt.[1]) Ecce quam hac in re praestantior est Origenis doctrina quam ipsius Platonis et Aristotelis. Dicit enim Plato esse quaerendum summum bonum in unione et similitudine Dei; Aristoteles vero in operatione perfectissima potentiae nostrae perfectioris, sc. in meditatione et contemplatione Dei et rerum divinarum, retentis etiam aliis bonis et virtutibus moralibus.[2]) Haec, quae uterque philosophus dicit requiri, coniunguntur ab Origene. Unimur certe et perfectissime Deo et similes ei erimus; operabimur etiam perfectissimis animae virtutibus intellectus et voluntatis; videndi enim Deum una et perfectissima erit actio, et caritas amplectens omnes alias virtutes numquam excidet.[3])

Hisce omnibus iam satis exprimitur Origenem dicere esse aeternam illam beatitudinem, atque sescentis locis ab eo idem dictum esse demonstrare possumus. Attamen oblivisci non debemus, quae supra de modo loquendi esoterico et exoterico diximus. Sicut ipse fatetur Origenes in praefatione libri de principiis scripti, erat „et illud definitum in ecclesiastica praedicatione", animam,

erlangen werden (ib. XV. 36—37). Nur zeitweilig, nicht definitiv kann sonach eine größere oder geringere Unvollkommenheit die Seele an der Erreichung der höchsten Stufe der Seligkeit hindern, während umgekehrt, die reinen Seelen nur dies vor den andern voraus haben, daß sie eher, und vielleicht mit Überspringung von Zwischenregionen zu Gott selbst gelangen." Cf. infra de poenis aeternis.

[1]) Cf. Aug. de civ. Dei XII. 20, Thom. Aq. S. th. II. 1. q. 5. a. 4. Cic. Tusc. V. 10.

[2]) Cf. Cathrein. Moralphilosophie, Freiburg 1893. Bd. I. p. 99; Grundey, de Platonis principiis ethicis, Berolini, 1865. p. 10.

[3]) Quae hac in re similia docuerit Clem. Al., cf. Winter, l. c p. 43, 76 sq. Quomodo Origenes exposuerit genus humanum a Deo educari et praeparari ad finem suum ultimum, optime composuit Denis l. c. p. 289 sq.

cum ex hoc mundo discessisset, pro suis meritis dispensatum iri „sive vitae aeternae ac beatitudinis haereditate" potituram, „sive igni aeterno ac suppliciis" mancipandam. [1]) Recte ergo etiam dicit Alexandrinus beatitudinem permanere, „in saeculum", „in saeculum saeculi", „in saecula saeculorum". [2]) Quae hic videantur, temporalia esse, ibi nos habitaturos in saeculum atque habitatione aeterna; paucorum dierum esse vitam nostram in terris, ibi nos provectum iri „ad illos dies aeternos et bonos, aeterni solis luce signatos". [3]) Praesens enim tempus est laboris et operis, in quo per bonam conversationem merita conquirantur, [4]) futurum vero tempus esse finiti laboris et timoris excussi. His enim in futuris saeculis tenebit Christus omnem arbitrii nostram facultatem liberam, ne rursum corruere possimus in peccatum; omnem creaturam continebit a lapsu virtutum omnium maior caritas, quae sola tunc erit dominatrix mentis nostrae. [5]) Si autem ultra delinqui non poterit, sanctos sane in hoc beatitudinis statu „etiam permanere semper et immutabiliter Creatoris voluntate est credendum", [6]) eosque verae et aeternae legis, — quae tunc erit, institutionibus imbui; tunc enim erit vere illud, quod aeternum dicitur evangelium et testamentum semper novum, quod numquam veterascet. [7])

---

[1]) Princ. praef. 5.

[2]) In Ps. XXXVI. h. IV. 6. 8.

[3]) H. In Jes. Nav. XVI. 1.

[4]) In ep. ad Rom. V. 1.

[5]) Ibid. V. 10. Cf. infra de libero arbitrio.

[6]) Pr. III. 6. 6; sit verum, quod dicit de la Rue adnotatione facta ad hunc locum, [M. 13. p. 337.] Rufinum hoc loco „de suo attexuisse" necne, nihil refert, uti postea patebit; cf. exh. ad mart. 44, 49;

[7]) Pr. III. 6. 8; si quis putat verbum aeternitatis in Origenis scriptis semper habere determinatam, nunquam autem infinitam diuturnitatem, citamus, quae dicit Origenes in ep. ad. Rom. VI. 5: dicitur. „aeternitas in Scripturis aliquando pro eo, ut finem nesciat, aliquando vero, ut in praesenti quidem saeculo finem non habeat, habeat tamen in futuro. Aliquando temporis alicuius, vel etiam vitae unius hominis spatium aeternitas appellatur, ut est illud in lege scriptum de servo Hebraeo (Exod. XXI. 5. 6); aeternum hic sine dubio tempus vitae hominis posuit (Moyses). Et iterum in Ecclesiaste (Eccl. I. 4) aeternum praesentis saeculi tempus ostendit. Ubi vero dicit vitam aeternam . . . sicut ergo semper cum Domino esse finem non habet, ita et vita aeterna nullum finem habere credenda est." Errant ergo ii omnes, qui dicunt Origenem hac in re non recte loqui, et optimo iure Vincenzi contra tales incusationes Alexandrinum defendit; multo etiam labore et studio innumerabilibus fere allatis ex Origene locis Vincenzi rectum esse Origenis usum verbi aeterni-

Origenes, quae usque adhuc de fine nostro ultimo dixit, bene sine dubio et recte docuit. Sed tota haec de fine hominis expositio plane destruitur per ea, quae aliis locis docet Alexandrinus. Persuasum enim habebat semper homini manere liberum arbitrium, facultatem sc. eligendi inter bonum et malum, qua facultate homines vel animae semper et in omni statu non solum uti possent, sed etiam revera uterentur. Liquet ergo etiam beatos ob liberum arbitrium semper a Deo deficere posse et etiam defecturos esse. [1])

Videmus ergo Origenem, ubi sacrae Scripturae sensum explicat et stricte sequitur dogma catholicum, bene, imo optime docere, ubi vero rapitur a speculationis suae principiis, in turpissimos labi errores. Verum quidem est Origenem, ubi aberrat a praedicatione ecclesiastica, magna cum cautela et cum pio timore loqui. Nullus fere in eius doctrina est error, quem positive vel dogmatice proferat, sed ubique fatetur esse suas hypotheses, vel rem forte posse ita esse et talibus speculationibus melius declarari et explanari. Sed hoc certe parvi refert, sint hypotheses an dogmata Origenis: Origenes credit ita esse posse, et hoc sufficit, ut possimus ei imputare errores. [2])

---

tatis demonstravit. Si tamen Vincenzi Origenis doctrinam recte non interpretatus est, et hanc ob rem omnia, quae exposuit defensor, clientis orthodoxiam demonstrare non possunt, alia debet esse via, ad declaranda ea, quae in Alexandrini scriptis ubique sibi contradicunt; debemus ergo distinguere inter „exteriora" et „interiora", uti supra exposuimus, etsi fortasse concedendum est auctorem ipsum interdum huius distinctionis oblitum esse, vel loqui de eo statu, quo possumus iam non peccare, (cf. infra de libero arbitrio) vel Rufinum interpolasse. Cf. p 59; 60 adn. 2.

[1]) Cf. infra de libero arbitrio.

[2]) Redep. II p. 337: „Man könnte sich versucht finden, die Lehre von dem ewig erneuten Fall lediglich als große Warnung zu betrachten, die Origenes an das Ende seines so streng sittlichen Systems für die Exoteriker stellen wollte, wenn nicht die Bücher von den Grundlehren eben das Esoterische enthielten, und die Behauptung selber allen Prinzipien des Systems genau entspräche." Die Worte de Pr. 325 (ed. Redep.): „in quo statu etiam permanere semper et immutabiliter creatoris voluntate est credendum"; Pr. IV. 362: „ut per haec tandem ad illam unam purificationem veniat, post quam pollui ultra non licet"; ib. I. 159: „ut sint cum illo unus spiritus semper", rell. müssen uns deshalb als Eigentum Rufins erscheinen." Pulcherrima ergo illa beatitudinis descriptio, quam invenimus Pr. III. 6. 4. non ad infinitam felicitatem extendi debet. — Redep. II. 115. adnot. 2: „Noch in ganz späten, dem 17. Jahrhundert angehörigen persischen Lehren, die die Bücher Dabistan und Desatir kennen lehren, finden wir die ewige Weltenreihe und Welterneuerung fast ganz, wie bei Origenes, mit noch näheren Bestimmungen im einzelnen. cet. S. the Dabistan, translated from the original Persian with notes and illustrations by David Shea and Anthony Troyer, Paris 1843. 3 voll. 8. Der Ursprung dieser Lehre ist gewiß in Indien zu suchen, wo wir sie frühzeitig antreffen. Da sich Origenes auch auf indische Weisheit beruft (Pr. III 288), und gewiß dieselbe, wie die Griechen seiner Zeit es thaten, sehr hoch stellt, so halte ich eine Entlehnung seiner Weltenreihen von dorther für mehr als wahrscheinlich."

III. De notione boni.

De notione boni et mali philosophi semper disputaverunt, perraro tamen ad eandem sententiam pervenerunt, imo diversae moralitatis essentiam in diversissimis rebus collocaverunt. [1] Invenit Origenes de discrimine inter bonum et malum faciendo plures philosophorum opiniones, quarum nonnullas vituperatione dignas acriter refellit, alias magis amplecti videtur.

Celsus, qui in tam multis rebus falsas doctrinas protulit, etiam de notione boni et mali non habet sanam doctrinam, imo tam absurda eius sententia Adamantio esse videbatur, ut acerrime contra eum suam defenderet opinionem. Atque re vera, quae Celsus profert, omnem veram moralitatem in periculum vocant atque ad nihilum redigunt. Sophistarum enim modo obiectivam moralitatis normam non admittit, sed omne bonum et honestum pendere docet a iudicio hominum, ita ut idem possit esse bonum et malum. Sic e. g. Scytharum leges rectas esse *(ὀρθῶς ἔχουσι)* putabat, „quae patres interfici permittunt", et Persarum, „quae matres filiis nubere, filias a patribus duci uxores non prohibent"; ita etiam certe „mors beata" est, „cum suspendio accersitur" *(μακάριον εἶναι ἀγχόνῃ τὸν βίον ἐξελθεῖν)*. Consequens est omnino ex Celsi doctrina „bonum, virtutem, etiam pietatem non sua natura sed consensu et opinione divinam esse virtutem", quod ergo bonum et pium *(ὅσιον)* est aliis, aliis est impium *(ἀνόσια)*, „quo quidem nihil absurdius". [2])

---

[1]) Cf. Kleutgen, Theologie der Vorzeit. II. Aufl. Münster 1867. I. Bd. p. 588 sq. Cathrein l. c. p. 130—233. Stöckl, Lehrb. der Philosophie. Mainz 1887. Bd. III. p. 37. Werner, System der christl. Ethik. Regensburg 1888. I. Teil. p. 56 sq. Ziegler, Gesch. der christl. Ethik. Straßburg 1892.

[2]) . . . *καὶ ἔσται κατ' αὐτὸν οὐ φύσει τὸ ὅσιον, ἀλλά τινι θέσει καὶ νομίσει θεῖον.* Cels. V. 27. Ita docebant multi Graecorum philosophi: Archelaus

Haec enim „vide an non multa de iusto, sancto et pio perturbationem inducant. Sic enim non distinguitur pietas, non propriam naturam habet, nec quidquam aliud, quo pios illos iudicare possis, qui pietatem sectantur“. Ut autem hoc dici debet de una virtute, ita debet dici de aliis omnibus, „qua tamen sententia nihil absurdius“. [1]) Eamdem fere, quam Celsus profert sententiam, etiam gnostici quidam docebant. [2])

Non dubium erat Origeni, quin Epicuraeorum illud: „nec bona nec mala arbitraria esse“ *(ἀπροαίρετα εἶναι τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ κακά)*, atque voluptatem vel libidinem *(ἡδονή)* esse summum bonum *(τὸ ἀγαθὸν)*, „malum vero id, quod molestum est“ *(κακὸν δὲ τὸ πονηρὸν)*, plane esset absurdum. [3]) „Alii vero in iis solis, quae libere suscipiuntur, bona et mala includunt,

---

ἔλεγε . . τὸ δίκαιον καὶ τὸ αἰσχρὸν οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ. (Diog. Laert. II. 16.) Aristippus *μηδὲν εἶναι* dicebat *φύσει δίκαιον ἢ καλὸν ἢ αἰσχρὸν, ἀλλὰ καὶ ἔθει* (ib. l. c. 93); cf. de aliis Diog. Laert. IX. 61. Aristot. ethic. Nic. V. 10. Cicero de Republ. III. 12, 21. Praecipue cf. Platonis Protag. et Gorg., ubi fusius agitur de hoc scepticismo philosophorum.

[1]) *ταῦτα δὲ ὅρα εἰ μὴ πολλὴν ἐμφαίναι τὴν περὶ τοῦ δικαίου καὶ ὁσίου καὶ εὐσεβείας ταραχὴν, οὐ διαρθουμένης, οὐδὲ φύσιν τινὰ ἰδίαν ἐχούσης, καὶ εὐσεβεῖς εἶναι χαρακτηριζούσης τοὺς τὰ κατ᾽ αὐτὴν πράττοντας. Εἴπερ οὖν ἡ εὐσέβεια, καὶ ἡ ὁσιότης, καὶ ἡ δικαιοσύνη τῶν πρός τί ἐστιν, ὡς τὸ αὐτὸ εἶναι ὅσιον καὶ ἀνόσιον παρὰ τὰς διαφόρους σχέσεις καὶ τοὺς νόμους· ὅρα εἰ μὴ καὶ ἡ σωφροσύνη τῶν πρός τι ἀκολούθως ἔσται, καὶ ἡ ἀνδρεία, καὶ ἡ φρόνησις, καὶ ἡ ἐπιστήμη, καὶ αἱ λοιπαὶ ἀρεταί· ὧν οὐδὲν ἂν εἴη ἀτοπώτερον.* Cels. V. 28.

[2]) Cf. Irenaeus adv. haer. I. 25. 4; de aliis philosophis cf. Ps. Clem. Recog. X. 5. [Migne P. G. 1. p. 1422]; plura de his rebus Cathrein. l. c. I. p. 130 sq. — Iam Cicero hanc scepticorum philosophorum acriter refutavit doctrinam, cf. de leg. I. 16: „quod si populorum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum iura constituerentur, ius esset latrocinari, ius adulterare, ius testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. . . . Nec solum ius et iniuria a natura diiudicantur, sed omnino omnia honesta ac turpia, nam et communis intelligentia nobis notas res efficit, easque in animis nostris inchoat, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Haec autem in opinione existimare non in natura posita dementis est!“ cet Item de finib. bon. et mal. V. 22.

[3]) Cels. III. 80; „erat in hominibus dogma, quod summum bonum pronuntiaret esse voluptatem.“ In ep. ad Rom. III. 1; Sel. in Ps. IV. vers. 6. M. 12. p. 1150. D; in Levit. h. III. 9: „Epicurum voluptatem summum bonum praedicantem.“ His etiam Cynicos adnumerat Origenes, h. in Exod. IV. 6: „Cynicorum secta, . . qui ad reliquas deceptionis suae improbitates etiam voluptatem et libidinem summum praedicant bonum.“ Aliis tamen locis pluris aestimat Origenes Cynicos, qui revera nequaquam omnes hanc tenuerunt Epicuraeorum opinionem; cf. Cels. III. 50.

et virtutes quidem earumque actiones solas bona vocant, vitia autem et vitiosas actiones malas." Tertium autem est genus eorum „qui haec permiscent, et simul inter arbitraria et non arbitraria esse bona et mala dicunt"; [1]) dicentes „tres esse species boni; unam erga animam, aliam erga corpora; tertiam extrinsecus, quae singula cum conducibiliter habeantur, ex ipsis summum bonum constare confirmant." [2]) Quamquam Origenes nomina horum philosophorum non memorat, tamen non est difficile suspicari eum loqui secundo loco de Stoicis, tertio de Peripateticis. [3]) Hoc etiam comprobatur per ea, quae amplius de his (Peripateticis) dicit. Putant enim hi, „qui arbitrariis non arbitraria miscent", „in anima esse virtutem et actiones a virtute profectas, vel vitium et actiones vitiosas; in corpore sanitatem, robur, pulchritudinem, vel contra mortem, malam corporis habitudinem et deformitatem. Externa denique divitias, paupertatem, gloriam, ignominiam, nobilitatem, ignobilitatem." [4]) Multi eorum, qui hanc defendunt doctrinam, posse „tria bonorum genera et totidem malorum in

---

[1]) Sel. in Ps. IV. vers 6. M. 12. p. 1149: *πολλῆς παρὰ τοῖς ἀνθρώποις ζητήσεως τυγχανούσης περὶ τοῦ τίνα τὰ ἀγαθὰ, καὶ τίνα τὰ κακὰ, καὶ τινῶν μὲν ἀπροαίρετα εἶναι λεγόντων τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ· ὥσπερεὶ τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν ἀποφαινομένων, κακὸν δὲ τὸ πονηρὸν. ἑτέρων δὲ ἐν μόνοις προαιρετικοῖς κατακλειόντων τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ· καὶ τὰς μὲν ἀρετὰς καὶ τὰς κατ' αὐτὰς πράξεις μόνας ἀγαθὰ λεγόντων, τὰς δὲ κακίας καὶ τὰς κατὰ κακίαν ἐνεργείας κακὰ. τρίτων δὲ ὄντων τῶν μιγνύντων καὶ ἅμα ἐν προαιρετικοῖς ἢ ἀπροαιρετικοῖς λεγόντων εἶναι τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ κακά.* Has opiniones eodem ordine, quo eas profert Origenes, proferimus, quamquam certe secunda opinio debet ultimo loco exponi, quia melior quam tertia; cf. etiam Com. in ep. ad Rom. III. 1: „erat in hominibus dogma, quod summum bonum pronuntiaret esse voluptatem, in quo et illud consequenter asseritur, non esse Providentiam, quippe si non ex legibus, sed ex voluptate vivendum." Item „qui dicant tres esse species boni", „Dei providentiam resecantes usque ad lunae eam globum supervenire contendunt, infra vero, hoc est ad homines eam minime descendere."

[2]) Com. in ep. ad Rom. III. 1.

[3]) Cf. Stöckl, Lehrb. d. Gesch. d. Philosophie. Mainz 1889. I. Bd. p. 138, 158. Zeller, Philosophie der Griechen II. Aufl. Cicero, de finib. bon. et mal. lib. III. IV. V. praecipue III. c. 4 sq.; V. c. 23, 24, ubi tota horum philosophorum doctrina de bono explanatur.

[4]) Sel. in Ps. IV. vers. 6. M. 12. p 1152: *ἀλλ' οὔτι γε τὰ ἀπὸ τῶν μιγνύντων τοῖς προαιρετικοῖς τὰ ἀπροαίρετα λεγόμενα ἀγαθὰ ἂν εἴη καὶ κακὰ. ἐκεῖνοι γὰρ οἴονται τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν εἶναι περὶ ψυχὴν, τὰ δὲ περὶ σῶμα, τὰ δὲ ἐκτός· ὁμοίως δὲ καὶ τῶν κακῶν. καὶ περὶ ψυχὴν μὲν ἀρετὴν καὶ τὰς κατ' ἀρετὴν πράξεις, ἢ κακίαν καὶ κατὰ κακίαν πράξεις. κ. τ. λ.*

Scripturis reperiri existimant", quod tamen nullatenus ex sacra Scriptura probari potest. [1])

Alii multi putant „bona esse, quae sanctis danda sunt, mala quae malis" *(τάδε εἶναι τὰ ἀγαθὰ τὰ τοῖς ἁγίοις δοθησόμενα, καὶ τάδε τὰ κακὰ τοῖς ἁμαρτωλοῖς)*, [2]) horum tamen doctrina vera esse non potest, nam, „certe omne, quod est propter aliquid, minus est eo, propter quod est *(ὅτι πᾶν τὸ διά τι ἔλαττόν ἐστι τοῦ δἰ ὅ ἐστιν)*, quemadmodum sectiones, ustiones, et emplastra, quae propter sanitatem sumuntur, minora sunt sanitate. Etsi haec ut in medicinae auxiliis bona dicantur, ita est accipiendum, ut non sint bona finis sive ultima medicinae, sed efficientia. Bonum autem finis in medicina corporis sanitas est". [3]) Ita etiam est in iis, quae sanctis et iustis danda sunt ad remuneranda bona opera, et quae malis dantur in poenam. „Sic igitur, si mandata servanda sunt, ut bona haec consequamur, praemia autem bona corporis et externa sunt, bonae actiones bonae non erunt, ut ultimae ac perficientes, sed ut efficientes bona; et divitiae, quas polliceri Scripturam putant, et corporis sanitas potiores erunt iustitia et ipsa sanctimonia et pietate et religionis tantis et tam praeclaris facinoribus." Hoc autem admittere „hominum est, qui virtutis dignitatem ignorant, sed res crassas et humiles ipsi

---

[1]) *οἰήσονται δέ τινες καὶ κατὰ τὰς Γραφὰς ὁμοίως τρία γένη εἶναι τῶν ἀγαθῶν, καὶ τρία τῶν κακῶν. κ. τ. λ.* Sel. in Ps. IV. vers. 6. M. 12. p. 1152; ib. M. p. 1156. B: *σαφὴ μὲν οὖν ἐκ τῶν εἰρημένων τὰ δυνάμενα ἐπὶ πλεῖον δυσωπῆσαι τοὺς οὐχ' οἵους τε λῦσαι τὰ προσαγόμενα, περὶ τοῦ τρία γένη τῶν ἀγαθῶν εἶναι καὶ τρία τῶν κακῶν κατὰ τὸν λόγον τῶν Γραφῶν.* Cf. ib. M. p. 1155. D.

[2]) Sel. in Ps. IV. l. c. M. 12. p. 1158. D; 1160. A.

[3]) . . *ταῦτα λέγοιτο ἀγαθὰ*, sed *οὐκ ἐστι τελικὰ ἰατρικῆς ἀγαθὰ, ἀλλὰ ποιητικά. τελικὸν δὲ κατὰ τὴν ἰατρικὴν ἀγαθὸν ἡ τοῦ σώματος ὑγεία.* Ib. l. c. M. p. 1160. B. — Quod ad finem attinet, novit Origenes nonnullas „finis" definitiones: „vocis illius definitiones selegimus ex Aristotele sic: Finis est id, cuius causa alia, ipsum vero nullius causa. *(τέλος ἐστὶν, οὗ ἕνεκεν τὰ ἄλλα, αὐτὸ δὲ μηδενὸς ἕνεκεν)*, vel hoc modo: cuius causa alia, ipsum vero non eorum causa *(οὗ ἕνεκεν τὰ ἄλλα, αὐτὸ δὲ οὐκ αὐτῶν ἕνεκα)*, sive hoc pacto: propter quod alia quivis operatur, ipsum vero propter aliud nihil *(δἰ ὃ τὰ ἄλλα τις πράττει, αὐτὸ δὲ διὰ μηδὲν ἄλλο)*. Ex Hierophilo autem de Stoico nominum usu hoc modo: Finem vero dicunt esse categorema, seu praedicatum, cuius causa reliqua facimus, ipsum vero nullius causa *(τέλος δ' εἶναι λέγουσι κατηγόρημα, οὗ ἕνεκεν τὰ λοιπὰ πράττομεν, αὐτὸ δὲ οὐδενὸς ἕνεκεν)*." Cf. etiam: „quod autem huic sc. fini coniungit, veluti beatitudo ei quod est beatum esse, scopum appellant: quod est appetendorum ultimum." Ex com. in Ps. M. 12, p. 1054. A. Cf. etiam de his Cic. de fin. bon. et mal. III. 16. sq.

anteponunt". [1]) Ceterum omnino demonstrare non possunt, qui hanc sententiam defendunt, ea quae bona existiment, iis semper affuisse, qui legem servaverunt et excoluerunt virtutes, imo s. Scriptura multa habet exempla, quibus maximis saepe doloribus et calamitatibus sanctos affligi demonstratur. [2])

Quae Stoici alia docebant de summo bono, omnia nota erant Adamantio, qui in multis rebus hanc Stoicorum doctrinam sequitur. Stoici summum bonum in beatitudine ponebant, i. e. in virtute et actione naturam hominis sequente *(ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν)* [3]) atque virtutem docebant propter ipsam (summum bonum) esse amplectendam. [4]) Utitur quidem Origenes saepe lingua Stoicorum, sed alius eius doctrinae sensus est. Si enim Alexandrinus agit de eo, quod sit contrarium „rectae rationi", [5]) vel sit „praeter rectam rationem", [6]) haec Origenis ‚recta ratio' plus est quam ratio vel *φύσις* Stoicorum; est enim postremo et proprie Logos ipse, qui in nobis est, Verbum divinum et summum bonum, secundum quem agere debemus. [7])

Error erat Stoicorum, quod „in iis solis, quae libere suscipiuntur, bona et mala" includebant. Melior est doctrina Origenis. In plurimis quidem dicit bonis libertatem debere adesse, sed novit etiam bona, quae ‚non arbitraria' sunt. Minime quidem cogimur amplecti, quod bonum atque honestum est, e contra haec est natura bonorum, ut „libere suscipi aut omitti possint." [8]) Quamvis autem, ut quid sit bonum, cum arbitrii plena libertate *(προαίρεσις)* suscipi et perfici debeat, humanae tamen vires non (semper) sufficiunt, sed indigent divino adiutorio *(τῆς θείας συμπνοίας)*. Et „sic bonum rationabilis naturae mistum est ex voluntate ipsius et conspirante divina virtute in eo, qui honestissima suscipit." [9])

---

[1]) Sel. in Ps. IV. l. c. M. 12. p. 1159. A.

[2]) Ib. M. p. 1159. C. B.

[3]) Cf. Cic. de finibus bonor. et mal. III. 6; ib. 4; de leg. I. 21.

[4]) *τῆς Στοᾶς δι' αὐτὴν αἱρουμένου πᾶσαν ἀρετήν.* Cels. V. 47.

[5]) In cant. cant. XXV. 1.

[6]) *παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον,* de orat. 31; cet.

[7]) Cf. supra p. 37 sq.

[8]) *ἐν προαιρετικοῖς ἐστιν ἡ τῶν ἀγαθῶν φύσις.* Sel. in Ps. IV. M. 12. p. 1152. A.

[9]) *τὸ τοῦ λογικοῦ ἀγαθὸν μικτόν ἐστιν ἔκ τε τῆς προαιρέσεως αὐτῶν καὶ τῆς συμπνεούσης θείας δυνάμεως τῷ τὰ κάλλιστα προελομένῳ.* Sel. in Ps. IV. vers. 6. M. 12. p. 1161. A.

Sed praeter bona haec ,arbitraria' novit Origenes etiam bona, quae non sunt libera; distinguit enim inter ea, quae „in arbitrariis *(ἐν προαιρετικοῖς)* et non arbitrariis *(ἀπροαιρετικοῖς)* bona vel mala sint." Agit in his praecipue de gratia Dei, quae multa facit in homine sine homine, itaque recte dici potest: „extra liberam voluntatem nostram fuerit bonum virtus Domini, quae aedificantis aedificationem adiuvat et ei opitulatur unaque cum eo aedificat, qui aedificationem per se consummare non potest." [1]) Bona quidem haec, quae novit ,non arbitraria', Origenes simpliciter bona nominare non audet, et fortasse ita facit magis christianismi quam Stoicismi principiis ductus, quia certe talia bona, excepta tamen gratia divina, non plane ad moralitatem et honestatem spectant.

Quodsi, quaenam sint bona, quaesieris, innumerabilibus fere locis proprie *(κυρίως)* esse bona appellatas invenies virtutes et actiones ex virtute profectas, [2]) vel proprie bona dici, „quae ad virtutes animi pertineant." [3]) Plane eadem est doctrina Stoicorum, qui virtutem non solum summum, sed etiam unicum hominis bonum esse dicebant. [4]) Magis tamen quam Stoici notionem boni Origenes cum Deo connectit. Hoc enim semper et primum ad notionem boni et honesti requiritur, ne contra Dei legem agatur. [5]) Stultum sane est boni appellationem Deo ut primae causae aut virtuti aut honesto detractam in alias res conferre, quae revera moraliter bona non sunt. [6]) Hae tamen res, quae per se neque bona neque mala sed media esse putanda sunt, interdum speciem boni assumere possunt. [7])

Magis etiam quam Stoicorum doctrina perpulchrum illud Platonis principium Origeni placere videtur; dicit enim: „Igitur summum bonum, ad quod natura rationabilis universa festinat,

---

[1]) Non tamen inter non arbitraria *(ἐν ἀπροαιρετικοῖς)* enumerat Origenes „valetudinem, sanitutem, formam, gloriam, divitias", quae recte — uti ex hoc sequitur — physice quidem, sed non moraliter bona esse putat. Sel. in Ps. IV. M. 12. p. 1159. B. C.

[2]) *κυρίως ἀγαθὰ αἱ ἀρεταὶ καὶ αἱ κατὰ ταύτας πράξεις.* Cels. II. 51.

[3]) Com. in ep. ad Rom. IV. 9.

[4]) Cf. Cic. de fin. bon. et mal. lib. III. Stöckl, l. c. p. 157.

[5]) Com. in ep. ad Rom. IV. 9; cf. Sel. in Ps. IV. vers. 6.

[6]) *τὴν τοῦ ἀγαθοῦ προσηγορίαν κατασπῶσιν ἀπὸ τοῦ πρώτου αἰτίου ἢ ἀπὸ τῆς ἀρετῆς καὶ τοῦ καλοῦ ἐπὶ τὸν τυφλὸν πλοῦτον.* Cels. I. 24.

[7]) Cf. infra de „mediis".

quod etiam finis omnium dicitur, a quamplurimis etiam philosophorum hoc modo terminatur, quia summum bonum sit, prout possibile est, similem fieri Deo." Putat Origenes „hoc non tam ipsorum inventum, quam ex divinis libris ab eis assumptum" esse. [1]) Hoc ultimum probat hanc opinionem ab eo fuisse approbatam; ipse quoque, Platoni consentiens, summam coelorum beatitudinem in eo ponit, ut similes simus Deo, atque ut *ὁμοίωσιν*, ad quam creati sumus, tunc demum nanciscamur.

Stoicorum ethica, religionis per se fere expers, a Platonicis magis ad Dei cultum relata, maxime tamen religionis charactere insignita est in doctrina Origenis. Quod enim bonum est, fieri non potest, quin habeat relationem ad Deum, quippe qui boni omnis est „fons et principium", [2]) qui totus est rectae et iustae naturae, in quo non sunt vitiosa desideria nec libidines inordinatae. Ita etiam dicere possumus, id quod bonum sit, idem esse ac Deum, et per consequentiam: „unum enim atque idem est diligere Deum et diligere bona". [3]) Tam enim intime notio boni cum Deo cohaeret, ut Deo, licet sit omnipotens, tamen non sint „omnia possibilia". „Scimus enim illud ‚omnia' non complecti ea, quae fieri posse repugnat et cogitari. Dicimus etiam Deum turpia non posse, alioquin Deus posset non esse Deus. Nam si quid turpe Deus facit, Deus non est." [4]) Certe dubium non est, quin „bonum proprie dictum ad unum Deum pertineat" *(τοῦ κυρίως ἀγαθοῦ ἐπὶ μηδένα ἀναφερομένου, ἢ τὸν Θεόν).* Si igitur „nemo bonus *(ἀγαθός)* nisi unus Deus, adeo ut vocabulum illud ‚bonus' Deo attributum alii praeterea nulli attribuendum sit", alia, quae etiam bona esse dicuntur, non sunt eadem ratione et eodem modo bona, quo est Deus; „nec enim quatenus bonus est Deus, eatenus dici" potest „homo bonus de thesauro pro-

---

[1]) Pr. III. 6. 1.

[2]) *ἀρχηγέτης τυγχάνων παντὸς καλοῦ.* Cels. V. 24.

[3]) Prolog. in cant. cant. M. 13. p. 70.

[4]) *οὐκ εἰς ἀτοπωτάτην γε ἀναχώρησιν ἀναχωροῦμεν λέγοντες, ὅτι πᾶν δυνατὸν τῷ Θεῷ. οἴδαμεν γὰρ ἀκούειν τοῦ „πᾶν' οὐκ ἐπὶ τῶν ἀνυπάρκτων οὐδ' ἐπὶ τῶν ἀδιανοήτων. Φαμὲν δὲ καὶ, ὅτι οὐ δύναται αἰσχρὰ ὁ Θεὸς, ἐπεὶ ἔσται ὁ Θεὸς δυνάμενος μὴ εἶναι Θεός. εἰ γὰρ αἰσχρόν τι δρᾷ ὁ Θεός, οὐκ ἔστι Θεός.* Cels. V. 23; cf. ibid. 27. sq.

ferens bonum", vel similia. [1]) Itaque „sciendum est bonum proprie dictum soli Deo attribui, alias vero abusive tam operibus bonis quam hominibus et arbori bonae; multis vero etiam aliis bonum ascriptum videas." [2]) Haec porro inter nos et Deum distinctio est, quod Deus naturâ *τὸ* bonum est, *(ἁπλῶς ἀγαθός, ἀπαραλλάκτως ἀγαθός, αὐτοαγαθόν, ὁ ἀγαθὸς τῷ ὄντι),* [3]) nos autem id adventitium vel per accidens et communicatum habemus; ex quo sequitur, ut nos etiam de bono decidere possimus. [4]) Omnia ergo, quae bona esse dicuntur, in tantum sunt, quantum cum eo cohaerent, qui solus proprie est bonus, nempe Deus.

Cum vero Deus maxime se glorificaverit in Verbo, hoc Verbum, Jesus, bonorum multitudo est. Servator enim, „quemadmodum est imago Dei invisibilis, ita et imago bonitatis illius est". [5]) Hoc divinum Verbum, sine quo nihil umquam boni in hominibus factum est, ad hominum animas advenit, qui vel ad breve tem-

---

[1]) *οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός. ὡς τὸ τεταγμένον ‚ἀγαθὸς' ὄνομα ἐπὶ τοῦ Θεοῦ, μὴ ἂν ταχθῆναι καὶ ἐφ' ἑτέρου τινός. οὐ γάρ, ᾗ ἀγαθὸς ὁ Θεός, ταύτῃ λέγοιτ' ἂν ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ προφέρων τὰ ἀγαθά.* Com. in Matth. tom. XV. 10.

[2]) *χρὴ δὲ εἰδέναι ὅτι ἐνταῦθα* (nonnullis scripturae locis) *μὲν κυρίως τὸ ἀγαθὸν ἐπὶ τοῦ Θεοῦ τέτακται μόνον. ἐν ἄλλοις δὲ καταχρηστικῶς, καὶ ἐπὶ ἔργων ἀγαθῶν, καὶ ἐπὶ ἀνθρώπου ἀγαθοῦ κ. τ. λ.* Com. in Matth. tom. XV. 10.

[3]) Com. in Joan. tom. II. 7.

[4]) *οὐ γὰρ οἷόν τ' ἦν ὁμοίως εἶναι τῷ οὐσιωδῶς ἀγαθῷ τὸ κατὰ συμβεβηκὸς καὶ ἐξ ἐπιγεννήματος ἀγαθόν.* Cels. VI. 44: „principalis bonitas in Deo sentienda est Patre, ex quo vel Filius natus vel Sp. s. procedens sine dubio bonitatis eius naturam in se refert, quae est in eo fonte, de quo vel natus Filius vel procedit Sp. s. Jam vero, si qua alia in Scripturis dicuntur vel angelus vel homo vel servus vel thesaurus, . . . haec omnia abusive dicuntur accidentem non substantialem in se continentia bonitatem." Pr. I. 2. 13. Omnia alia bona nominantur ab Origene „abusive", „per abusionem", „abusivo et derivato nomine" (Prol. in cant. cant.), *καταχρηστικῶς διὰ τὴν στενοχωρίαν τῶν ὀνομάτων, ἐν καταχρήσει.* Sel. in Ps. IV. M. 12. p. 1164. Tales locutiones etiam apud Stoicos inveniuntur.

[5]) *σωτὴρ . . ὡς ἔστιν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, οὕτως καὶ τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ εἰκών.* Com. in Matth. tom. XV. 10. *πλῆθος ἀγαθῶν ἐστιν Ἰησοῦς.* Com. in Joan. tom. I. 11; quae singula sunt in Jesu bona, hoc loco enumerantur: *ἓν μὲν γὰρ ἀγαθὸν ἡ ζωή, Ἰησοῦς δὲ ζωή. καὶ ἕτερον ἀγαθὸν φῶς τοῦ κόσμου, φῶς τυγχάνον ἀληθινόν, καὶ φῶς τῶν ἀνθρώπων. ἅπερ πάντα Υἱὸς εἶναι λέγεται τοῦ Θεοῦ . . ἀλήθεια . . ὁδός, δικαιοσύνη, ἁγιασμός, ἀπολύτρωσις. κ. τ. λ.* l. c. itaque, cum sint omnia bona in Jesu, recte appellari potest *παράδειγμα ἀρίστου βίου.* Cels. I. 68.

pus potuerunt has vel illas divini Verbi recipere operationes. [1] „Plus enim inferioribus bonis (i. e. hominibus) Servator praestat, quatenus imago est bonitatis Dei ipsius, quam Deus, qui bonus est, Servatori", quatenus sc. Servator est homo. [2] Hanc ob rem omnia nostra bona cum Filio Dei intime sunt coniuncta. Ipse, cuius participatione rationales sumus, ut supra audivimus, legem honestatis cum ratione nobis indidit, qua bonum et malum diiudicatur. [3] Hoc recte dignoscere gravissimum est. Origenes enim verum moralitatis fontem sagaciter perspiciens, non Deum tantum simpliciter, sed etiam Christum in centro christianae ethicae posuit. Idem verae moralitatis effectus virtutisque opera ex gratia profluere Spiritus sancti docuit.

Omnia haec bona possumus et debemus petere, et in appetendis bonis etiam mens nostra et voluntas habet suam perfectionem. Omnia enim vera bona nos ad acquirendam aeternam beatitudinem provehunt, atque in appetendis singulis bonis etsi aliquid iucunditatis invenitur, recte sine ulla dubitatione hoc debemus dicere „summum bonum esse vitam aeternam". [4] Et hanc aeternam vitam ut acquiramus, in eaque veram nostram felicitatem habeamus, ipse Deus nos admonet, in cuius visione et fruitione beatos nos fore speramus. [5]

[1]) *οὐδὲν γὰρ τῶν ἐν τοῖς ἀνθρώποις καλῶν γεγένηται μὴ τοῦ θείου Λόγου ἐπιδημήσαντος ταῖς ψυχαῖς κ. τ. λ.* Cels. VI. 78.

[2]) *πλεῖον γὰρ ἡ ὑπεροχὴ πρὸς τὰ ὑποδεέστερα ἀγαθὰ ἐν τῷ σωτῆρι, καθ' ὅ ἐστιν εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ, ἤπερ ἡ ὑπεροχὴ τοῦ Θεοῦ ὄντος ἀγαθοῦ πρὸς τὸν εἰπόντα Σωτῆρα ‚ὁ Πατὴρ ὁ πέμψας με μείζων μου ἐστίν' ὄντος πρὸς ἑτέρους καὶ εἰκόνα τῆς ἀγαθότητος τοῦ Θεοῦ.* Com. in Matth. tom. XV. 10.

[3]) Cf. supra p. 37 sq.

[4]) Com. in ep. ad Rom. III. 1.

[5]) Cf. infra de virtutibus. Redepenning certe Origenem non recte interpretatur, dicens: „Der Mensch soll, was gut ist, nur weil es gut ist, jede Tugend um ihrer selbst willen thun, ohne Nebenabsicht, welche die Folgen in Betracht zieht" l. c. II. p. 424; quod citat, minime mihi Stoicorum illam doctrinam exprimere videtur; insuper etiam Stoici semper petendam docebant virtutem, in qua beatitudo consisteret; (cf. Cic. de fin. bon. et mal. III. 11—15. Stöckl, Gesch. d. Phil. I. p. 156.) Dicit autem Origenes (Sel. in Thren. I. vers 5. M. 13. p. 614): „iuste, quod iustum est, persequitur is, qui, quod agit, ad aequitatis normam exigit et affectu sano operatur (*ἐπὰν καὶ τὸ πραττόμενον καθῆκον ᾖ, καὶ ὑγιεῖ διαθέσει ἐνεργῆται)*, ut siquis castitatem ob nihil aliud quam propter ipsam servaverit *(εἰ σωφροσύνην δι' οὐδὲν ἄλλο, ἢ δι' αὐτὴν κατορθώσαι)*, quemadmodum scriptum est fecisse Joseph; ille vero iniuste, quod iustum est, persequitur, qui, quod aequitati quidem consentaneum est, facit, sed affectu perverso *(προθέσει μοχθηρᾷ)*, ut, si quis bona pauperibus

Quod bono contrarium est, malum est. [1]) Mala ergo ea sola definiri debent, quae ad malitiam spectant et contra Dei legem aguntur, [2]) vel omnino omnia, quae virtutibus sunt contraria. [3]) Sicut autem ad definitionem boni moralis requiritur, ut cum libertate agatur, ita etiam a malo hoc nunquam excludi potest. Procul abest Origenes a multis philosophorum, [4]) qui veram mali definitionem non invenientes absurdissimas proposuerunt doctrinas. [5]) Hoc satis in doctrina Adamantii constat malum non mere esse negationem, sed privationem. Omnia quidem, quae omnino sunt, bona dici debent, quia omnia sunt a Deo creata et talia sunt, qualia Deus eas esse voluit. In rationabilibus tamen creaturis bonitas haec physica non sufficit; habet enim homo arbitrii facultatem et rationem, quibus debet omnibus rebus, quae physice quidem bona sunt, ita uti, sicut convenit summae moralitatis normae; quod si fit, quae physice bona sunt, homini sunt ansa, ut opera exerceat moraliter bona, [6]) quae sine dubio sunt vere et proprie bona. Ex hoc autem constat: „Deum non esse malorum seu vitii vitiosarumque actionum auctorem“, [7]) imo malum maxime contrarium esse Deo. Atque non solum contrarium malum est Deo, in quantum est bonus vel summum bonum, sed etiam, quia est ens per se subsistens. Certe enim „bonus idem est cum exsistente *(οὐκοῦν ὁ ἀγαθὸς τῷ ὄντι ὁ αὐτός ἐστιν)*. „Dixit enim Dominus ad Moysen: exsistens *(ὁ ὤν)* hoc mihi est nomen.“ Uti ergo „nemo bonus, nisi Deus“, ita verum ‚esse‘ in Deo inveniri debet. „Cum vero

---

distribuat ad gloriam ab hominibus captandam.“ Hic non quilibet respectus praemii, sed affectus indignus et perversus prohibetur.

[1]) Cels. II. 51.

[2]) Com. in ep. ad Rom. IV. 9.

[3]) Cels. VI. 54.

[4]) Cels. VI. 53.

[5]) Cf. infra de virtutibus.

[6]) *ὅτι μὲν οὖν ἐν προαιρετικοῖς ἐστιν ἡ τῶν ἀγαθῶν φύσις, πᾶς ὁστισοῦν ἀποδεχόμενος τὸν περὶ κρίσεως λόγον ἀδιδάκτως ὁμολογήσαι ἄν.* Sel. in Ps, IV. M. 12. p. 1152.

[7]) *ἡμεῖς δέ φαμεν, ὅτι κακὰ μὲν, ἢ τὴν κακίαν καὶ τὰς ἀπ' αὐτῆς πράξεις ὁ Θεὸς οὐκ ἐποίησεν.* Cels. VI. 55. — De hac re *(πόθεν τὰ κακά)* optime discutitur in libro, quem adversarius Origenis, Methodius, Olympi episcopus, *περὶ τοῦ αὐτεξουσίου* scripsit; cf. Bonwetsch, Methodius von Olympus. Erlangen u. Leipzig 1891. I. Schriften. p. 31 sq. Cf. infra p. 72

malum aut pravum contrarium sit bono, et contrarium exsistenti sit non exsistens, sequitur malum et pravum esse non exsistens"; concedi ergo oportet „omne vitium nihil esse, quoniam non est ens", et hanc ob rem merito „possumus etiam adiungere, quomodo propter vitium mali appellantur non exsistentes", quia sc. omne verum ‚esse' a Deo est, mali autem auctor Deus non est.[1]) Si autem malum non est ens, certe etiam „non subsistit" *(ἀνυπόστατον εἶναι τὴν κακίαν, οὐδέν, οὐκ ὄν)*;[2]) neque etiam substantia putari debet esse malum in eo, in quo est; nihil enim potest esse nisi accidens in anima peccatoris, habitus sc. vel qualitas animae, qua abiecta evanescit ipsum malum; „non enim decidentia de homine vitia ad aliquam aliam substantiam peccatorum congregantur, sed sibi abeunt et in semetipsa resoluta evanescunt atque in nihilum rediguntur.[3]) Etsi igitur conceditur „nullam esse substantiam peccatorum", tamen haec est natura mali, ut plane sit contrarium enti et bono; est enim aversio mentis a vero ente et conversio ad nihilum et vanitatem; aversio a vita et conversio ad mortem; est ergo malum *χωρισμὸς τῆς ψυχῆς ἀπὸ Θεοῦ, καὶ τοῦ Κυρίου αὐτοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος.*[4])

---

[1]) *ἐναντίον δὲ τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν, ἢ τὸ πονηρόν, καὶ ἐναντίον τῷ ὄντι τὸ οὐκ ὄν. οἷς ἀκολουθεῖ, ὅτι τὸ πονηρὸν καὶ κακὸν οὐκ ὄν. — προείπομεν δέ, ὅτι συνωνυμία ἐστὶ τοῦ οὐκ ὄντος καὶ τοῦ οὐδενός. καὶ διὰ τοῦτο οἱ οὐκ ὄντες οὐδέν εἰσι, καὶ πᾶσα ἡ κακία οὐδέν ἐστιν, ἐπεὶ καὶ οὐκ ὂν τυγχάνει. — καὶ ἔστι προσαγαγεῖν πῶς διὰ τὴν κακίαν μὴ ὄντες οἱ πονηροὶ προσαγορεύονται ἐκ τοῦ ἐν τῷ Ἐξόδῳ ὀνόματος ἀναγραφομένου τοῦ Θεοῦ . . ὁ ὢν τοῦτο μοί ἐστι τὸ ὄνομα.* Com. in Joan. tom. II. 7; cf. Pr. II. 1. 3: „certum namque est malum esse bono carere", diminutio *(μείωσις)*, uti alio loco vocat Origenes.

[2]) Com. in Joan. tom. II. 7.

[3]) In cant. cant. IV. M. 13. p. 186; cf. Aug, conf. VII. 12: „malum non est substantia". Plane eadem docet Methodius, cf. Bonwetsch, l. c. p. 22 sq.

[4]) Com. in Joan. tom. XIII. 23: „non enim aliud est mors quam a vita (i. e. Verbo) discedere" Pr. I.: *ἐξέρχεσθαι ἀπό, ἔρημον εἶναι Θεοῦ, ἔξω γίνεσθαι.* Com. in Joan. tom. XXXII. 3; Deus, uti docet Origenes, nobis omnia animae et corporis bona et facultates commendavit, ut iis recte et in honorem creatoris utamur, quod si facimus, imago Dei, quam potentialiter habemus, ad actum elicitur, si autem abutimur his viribus per peccata, perdimus vel debilitamus hanc divinam imaginem et diaboli induimus imaginem. H. in Levit IV. 3. — Si malum et nequitia non substantia est, quid tunc dicendum de diabolo, in quo summa invenitur nequitia? Feliciter effugit Origenes Manichaeorum errorem dicentium in diabolo nihil esse boni, imo eum esse principium omnino malum. Bene distinguit philosophus noster inter id, quod adhuc bonum est in diabolo, et cuius auctor est Deus, et inter malitiam eius. Com. in Joan.

Malum habuit originem in Satana qui „primus fruentium pace beateque viventium amissis alis excidit felicitate“, et ob hanc rem „quicunque sectatur malitiam et ex illa vitam degit, is, cum virtuti contraria faciat, Satanas est, hoc est Filio Dei adversarius, qui Filius est iustitia, veritas et sapientia“. [1])

Cetera quae neque bona neque mala sunt, media vel indifferentia nominantur. [2]) In hac quidem rerum indifferentium definitione valde cum Stoicis cohaeret Origenes, qui et ipsi omnia, quae neque virtus neque vitium sunt et proinde nihil conferunt ad *ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν,* aut vitae huic non sunt contraria, *ἀδιάφορα* vel *μέσα* vocant. [3]) Media talia, „quae neque proprie bonum neque proprie malum sunt“, quam plurima enumerat Adamantius, ut sunt praescientia futurorum, species et fortitudo corporis, proceritas, atque ea, quae corporis usibus serviunt. [4]) Circumcisio ipsa veteris testamenti et sabbatum non existimanda sunt esse per se bona, sed ideo bona, quia ad tempus utilia fuerunt. [5]) Vita est etiam „quaedam, quae nobis est indifferens, neque bonum neque malum exsistens, iuxta quam etiam impios et animalia bruta vivere dicimus.“ [6]) Ex his iam satis apparet

---

tom. II. 7: *τὸ πονηρὸν καὶ κακὸν οὐκ ὄν. καὶ τάχα τοῦτο ἔσηνε τοὺς εἰπόντας τὸν διάβολον μὴ εἶναι Θεοῦ δημιούργημα. καθ' ὃ γὰρ διάβολός ἐστιν, οὐκ ἔστι Θεοῦ δημιούργημα. ᾧ δὲ συμβέβηκε διαβόλῳ εἶναι, γενητὸς ὤν, οὐδενὸς κτίστου ὄντος, παρὲξ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, Θεοῦ ἐστι κτίσμα. ὡς εἰ ἐφάσκομεν καὶ τὸν φονέα μὴ εἶναι Θεοῦ δημιούργημα, οὐκ ἀναιροῦντες τὸ, ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν, πεποιῆσθαι αὐτὸν ὑπὸ Θεοῦ. Τιθέντες γὰρ τὸ, ᾗ ἄνθρωπος τυγχάνει, ἀπὸ Θεοῦ αὐτὸν τὸ εἶναι εἰληφέναι, καὶ ἡμεῖς οὐ τίθεμεν τό, ᾗ φονεύς ἐστιν, ἀπὸ Θεοῦ τοῦτ' αὐτὸν εἰληφέναι.* Com. in Joan. tom. II. 7.

[1]) Cels. VI. 44; cf. ib. IV. 65: „aio ne philosopho quidem facile esse malorum originem *(τὴν τῶν κακῶν γένησιν)* cognoscere. Fortasse etiam nullo modo potest, nisi Deo aspirante discat intelligatque, et quid mala sint, et quomodo orta fuerint, et quonam modo tollenda sint. Et sane in malis est Dei ignoratio et malorum pessimum nescire, quis sit Dei colendi modus, quae pietatis erga eum ratio.“

[2]) *μέσα, ἀδιάφορα, οὐδετέρα, μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας, ἐν μέσοις πράγμασιν,* uti vocabat Origenes cum Stoicis; cf. ad Rom. IV. 9; Cels. VIII. 61; V. 36; VII. 5. cet.

[3]) Cf. Stöckl l. c. p. 158; Zeller l. c. III. p. 128, 147, 150. Cic. de fin. bon. et mal. III. 16.

[4]) Com. in ep. ad Rom. IV. 9; ib. VI. 3; hom. in Num. XVI. 7.

[5]) *εὔδηλον ὅτι περιτομὴ καὶ σάββατον οὐκ αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ καλά, ἀλλὰ ἐπειδὴ πρὸς καιρὸν ἐχρησίμευσεν.* Sel. in Jes. Nav.

[6]) *ζωὴ ἀδιάφορος, ἣ μήτε ἀγαθόν, μήτε κακὸν τυγχάνουσα, καθ' ἣν λέγομεν ζῆν καὶ τοὺς ἀσεβεῖς καὶ τὰ ἄλογα ζῶα· καὶ ἑτέρα διάφορος, ἀλλ' ἀγαθόν, περὶ*

res omnes ab Origene indifferentia nominari, quae physice quidem bonae sunt vel malae, directe tamen ad actus morales nihil influunt. Sed non solum res sunt indifferentes, sunt etiam actus indifferentes et medii. Multa enim, quae dicuntur et aguntur a nobis, neque bona sunt neque mala, ut „otiosus sermo est, qui neque boni, neque mali aliquid agit". [1]) Alia etiam, quae sunt mala, interdum indifferentia esse possunt, ut e. g. homicidium. Homicida nominandus est, qui quocumque modo aliquem interfecit; „qui homicida aliquando etiam est indifferens iuxta id, quod fecit Phineas". [2]) Certe hoc non plane est rectum, et Origenes, si vult sibi constare, non debet hoc homicidium nominare indifferens, sed bonum; fortassis tamen hoc loco magis ad sensum quam ad verbum spectare debemus.

Num talia dicta vel facta etiam in concreto inveniantur indifferentia, nusquam quidem dicit Origenes, sed ex omnibus, quae scripsit, sine ulla dubitatione hoc illum negare patet. Arbitrium enim nostrum liberum semper dicit versari circa bona et mala; inest enim nobis „facultas eligendi, quod probaverit (vis dignoscendi boni vel mali, *ἀφορμαὶ τοῦ θεωρῆσαι τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρόν*); in eligendo quidem, quod bonum est, laudabilis, in sequendo vero, quod turpe vel malum est, iure culpabilis" iudicatur. [3]) Item dicit etiam pro verbis otiosis nos in die iudicii debere rationem reddere; otiosa autem ea appellat verba, quae per se sunt media; si ergo etiam horum verborum debemus reddere rationem, certe non iam possunt esse nobis indifferentia, sed receperunt alium vel boni vel mali characterem, ita ut iuste nobis possint imputari. Sic haec interpretari debemus, quia Origenes libero arbitrio tantum attribuit momenti. [4]) Alio autem loco etiam

---

ἧς φησιν ὁ Παῦλος κ. τ. λ. . . . . οὕτως τὸν μὲν ἐναντίον τῇ διαφόρῳ [ita certe recte legendum est, non *ἀδιαφόρῳ*] *ζωῇ θάνατον ἀδιάφορον ἐρεῖς.* Com. in Joan. tom. XX. 31.

[1]) In Ps. XXXVIII. h. I. 3.

[2]) *ὅστις ἐστὶ καὶ μέσος,* Com. in Joan. tom. XX. 21; ib. vita, „quae neque bonum per se, neque malum".

[3]) *ἐπαινετοί μὲν ἐσμὲν ἐπιδόντες ἑαυτοὺς τῇ πράξει τοῦ καλοῦ, ψεκτοὶ δὲ κατὰ τὸ ἐναντίον.* Pr. III. 1. 3; ib. III. 3. 5; de orat. 6: *τὸ ἐφ᾽ ἡμῖν μυρίας ὅσας ἀποθεύσεις ἔχον πρὸς ἀρετὴν ἢ κακίαν, καὶ πάλιν ἢ προς τὸ καθῆκον, ἢ πρὸς τὸ παρὰ τὸ καθῆκον.* Cf. ib. 29.

[4]) „Otiosus autem sermo est, qui neque boni, neque mali aliquid agit. Si ergo in die iudicii rationem reddemus non solum pro malis verbis, sed etiam pro otiosis, quis gloriabitur, castum se habere cor?" in Ps. XXXVIII. h. I. 3.

clarius scriptor sententiam suam profert: certe in concreto non sunt indifferentia; „idcirco igitur natura sui indifferentia et media dicuntur, quia ad malum opus sociata, mala dici possunt, et bonis operibus iuncta, bona appellari"; ita ergo „si ista, quae media sunt, ad animi virtutem et ad fructum boni operis convertantur, gloriatione digna efficiuntur; sicut rursum, si ad malum opus conferantur, ut per divitias quis opprimat pauperem et per fortitudinem prosternat infirmum, iam non haec media, sed mala esse putantur". [1])

Debemus etiam adiungere, quod dicit auctor noster de circumstantiis speciem mutantibus. Si quis id, quod per se est bonum vel indifferens, ex mala operetur intentione, huius operis species mutatur, neque plane bona est ista actio, ut qui eleemosynam dat „propter vanam gloriam", non omnino id agit, quod bonum est; quod agit, bonum est secundum obiectum, sed „iniuste, quod iustum est, persequitur". [2]) Ergo fieri potest, ut, quae per se bona sunt, fiant mala, primum quidem „quod sui natura bonum est, ex offensione efficitur malum, i. e. in eo, quod offenditur frater te utente his cibis, in quibus ille scandalum patitur. Alia vero causa est, qua commune vel immundum efficitur, quod natura sui immundum non est, si existimet quis et apud se ita habeat, quod commune (= malum) sit. Illi ergo ipsi tantummodo, qui hoc ita existimat, commune efficitur vel immundum". [3])

---

[1]) Com. in ep. ad Rom. IV. 9.

[2]) Sel. in Thren. I. vers. 5. M. 13. p. 614; cf. supra p. 69. adn. 5.

[3]) Com. in ep. ad Rom. X. 3. — Alterum hoc genus, quo mutatur species obiecti vel actus, ad conscientiam erroneam spectat, uti nos dicimus. Plura de his rebus in Adamantio non invenimus. Valde tamen mirabere, si audieris esse „nonnulla etiam communium (i. e. iustorum) hominum gesta, quae, quamvis peccato careant, non tamen digna videantur, quibus interesse putemus Spiritum sanctum. Ut v. g. dixerim connubia quidem legitima carent quidem peccato, nec tamen tempore illo, quo coniugales actus geruntur, praesentia sancti Spiritus dabitur, etiam si propheta esse videatur, qui officio generationis obsequitur." In Num. h. VI. 3. Quare etiam cubiculum non est dignus orationis locus. De orat. 31. Origenes ita de loco et tempore, quo actus generationis exercentur, agens, lingua certe loquitur Neopythagoraeorum et Neoplatonicorum (Clem. Al. Strom. III. p. 515, 519), qui malum putabant actum generationis. Similia inveniuntur in doctrina Pythagorae (Diog. Laert. VIII. 9; Stobbaeus, serm. 15.) et Platonis (Phaedo, 48, de Rep. 572). In hoc tamen errat Redepenning, quod haec christianorum et ethnicorum philosophorum dicta de actu generationis eiusdem putat esse valoris. Ceterum ipsi auctori

libri sapientiae eandem Redep. ascribit sententiam. Rectus huius loci sensus hic solus esse potest. Origenes omnes res esse vel bonas vel malas, ut supra exposuimus, censuit, ita etiam omnia, quae per se indifferentia sint, practice fieri bona aut mala. Nonnullis tamen rebus, quae per se non sunt malae, non adesse putare potest Spiritum sanctum, quia probant infirmitatem generis humani, uti expresse dicit Origenes: „sed et alia plura sunt, in quibus sufficit sola vis humana, et neque res indiget, neque decet adesse praesentiam Spiritus sancti.“ In Num. h. VI. 3. [Fortasse etiam de gratia actuali loquitur auctor („non indiget“), sine qua isti actus sola vi humana exerceri possint.] Concedendum quidem est primae ecclesiae aetatis patres ipsumque Adamantium hac in re rigidiores habuisse sententias; attamen sine dubio Redep. verum Origenis sensum non capit dicens: „Auch in späteren Jahren wußte Origenes die Heiligkeit des ehelichen Verhältnisses nicht zu würdigen, indem er es zwar nicht für sündlich, aber doch für unrein erklärte.“ I. p. 211. Textus, quos citat Redep. (l. c. p. 212) h. I. in cant. cant. 2, 3; in cant. cant. II. 1: „esse dilectionem virorum in propriis quoque uxoribus“ inhonestam (sc. comparatum cum divina ea dilectione, qua debemus amare sponsum animae nostrae, Deum) hoc non dicunt; quod dicit Redep.: „eine jede sinnliche Liebe hielt er (Orig.) als solche für verderblich“, rectum quidem est, sc. si caret obiecto determinato, (ut recte docet Adamantius in Gen. III. 6. (quod citatur infra cap. VI, ubi agitur de operibus supererogatoriis); item Olympius, cf. Bonwetsch, l. c. p. 43.) vel modo honesto, ut etiam nos dicimus. Matrimonium esse divinae institutionis apertissime scribit Adamantius, idque *χαρίσμα* appellans ob hominum infirmitatem licitum esse dicit, cum ipse Salvator increpuerit pharisaeos, qui „probibent nubere et ab eo, quod expedit, ad immoderatam munditiam compellant.“ Com. ser. in Matth. X. M. 13. p. 1612. Ipsorum insuper apostolorum exemplo probatum est matrimonium; cf. Com. in ep. ad Rom IX. 1 Cels. VII. 48; VIII. 55. Plura de sacramento matrimonii infra dicemus.

IV. De lege.

Ex definitione boni et mali, quid generatim debeamus facere aut omittere, cognoscitur; quid autem in singulis faciendum sit, non ea omnia ex sola notione boni vel mali omnibus patescunt; indigemus legibus, quae finem honestatis i. e. summum bonum sequentes dicant, quae sint in particulari bona agenda, quae mala omittenda. Sed etiam vis illa obligans, qua summo bono subicimur, „legem“ constituit veram et eam quidem principalem, qua ceterae omnes nituntur.

Dicitur lex generalis, „quae docet, quid fieri debeat, quid caveri“, [1]) vel quae dictat, „quid agi debeat, et quid agi non debeat“. [2]) Distinguitur autem lex naturalis et positive data vel scripta. Atque naturalis lex *(φυσικὸς νόμος)*, [3]) „quae communiter omnibus hominibus inest“, [4]) ad omnes homines pertinet, neque quisquam, „cum naturaliter hominibus insit“, eius est expers, „neque Judaeorum, neque gentium; itaque Deus quidem invenitur dedisse homini omnes affectus omnesque motus, quibus ad virtutem niti possit et progredi: insuper vim rationis inseruisse, qua cognosceret, quid debeat agere, quid cavere“. [5]) Haec est lex, quae in gentium cordibus scripta esse dicitur. Deus enim,

[1]) Com. in ep. ad Rom. VI. 8.

[2]) Ibid. III. 6.

[3]) Sel. in Ps. LXX. 4; vocatur ab Apostolo lex naturalis *νόμος*, cum lex Moysi semper *ὁ νόμος* nominetur; cf. Com. in ep. ad Rom. III. 7: „moris est apud Graecos nominibus *ἄρθρα* praeponi, quae apud nos possunt ‚articuli‘ nominari; si quando igitur Moysi legem nominat, solitum nomini praemittit articulum; si quando vero naturalem vult intelligi, sine articulo nominat legem.“ Cf. Bigg, l. c. lect. VI. p. 207. adn. 1.

[4]) In ep. ad Rom. II. 8.

[5]) Ib. III. 6.

cum et in vetere et in novo testamento populum electum haberet, quibus dedit mandata sua, tamen gentes, quae extra haec testamenta stant, non deseruit sed etiam iis legem dedit. Ita non sapientes tantum gentium et philosophi per hanc naturae legem insitas habent in animis, quae ad ethicen pertinent, notiones, [1]) Deus hac lege „in omnium corda diversus“, quid lex velit et contineat, inscripsit, et ita omnes homines „habent communes quasdam de moribus regendis notiones in animis impressas“. [2]) Et hoc modo practice saltem per consensum omnium recta honestatis notio patet. Nimirum haec etiam gentium tradita lex nihil dicit e. g. de Sabbatis et Neomeniis vel sacrificiis, quae in lege scripta sunt, „sed hoc, quod naturaliter sentire possunt, v. g. ne homicidium, ne adulterium faciant, ne furentur, ne falsum testimonium dicant“. [3]) Hoc quoque certe mentibus hominum litteris Dei inscriptum est, ne idola colerent aut creaturas adorarent. [4]) Huc pertinet etiam illud, quod praecipitur in evangelio, „ut quae sibi fieri nolunt homines, haec ne faciant aliis“, quid enim hoc magis „naturalibus sensibus proximum“? [5]) Non autem negativa tantum, habet etiam naturalis lex praecepta positiva, ut e. g. honorent patrem et matrem, et horum similia; [6]) adde et hoc „ne sapientem quidem hominem velle cuiquam nocere, sed quantum potest, ita agere, ut conversos ad bonam frugem revocet etiam eos, a quibus acceperit iniuriam“. [7]) „Fortassis et quod Deus unus creator sit omnium“, scriptum est in cordibus eorum. [8])

Lex autem naturae, quamvis possit „occasiones praebere et intellectum dare vel ad ea, quae inter homines agi aequitas poscit, vel ad hoc ipsum, ut sentiat esse Deum“, „adhuc est utique exigua et parva“, [9]) quam ob rem etiam aliae leges sunt,

---

[1]) Cels. I, 5: *οὐκοῦν καὶ περὶ τούτου λεκτέον ὅτι ὁμοίως τῷ ἄλλῳ ἠθικῷ τόπῳ ἐγκατεσπάρησαν τοῖς ἀνθρώποις ἔννοιαι.*

[2]) *πάντων ἐχόντων κατὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας πρόληψιν ὑγιῆ περὶ τοῦ ἠθικοῦ τόπου.* Cels. I. 5.

[3]) Com. in ep. ad Rom. II. 9.

[4]) Cels. I. 5.

[5]) In ep. ad Rom. II. 9.

[6]) Ib. l. c.

[7]) Cels. VIII. 35: *ὁρῶν ὅτι οὐδὲ σοφὸς ἄνθρωπος βλάψαι ἂν βούλοιτό τινα, ἀλλ', ὅση δύναμις, καὶ τοὺς ὑβρίζοντας ἐπιστρέφειν καὶ βελτιοῦν.*

[8]) In ep. ad Rom. II. 9; cf. ib. l. c.: „rationalis animae virtus cor nominatur“.

[9]) Ib. l. c.; „quamquam enim lex naturae de bono et malo testimonium

quae ad statum hominum recte ordinandum et instituendum cum a Deo tum ab hominibus latae sunt. Distinguendum ergo est inter leges divinas et humanas. Duae enim, dicit Adamantius, generatim sunt leges, „naturae altera, cuius auctor est Deus“, qui huic legi postea positivam legem adiunxit, „altera urbibus scripto data, quibus legibus (urbium), si cum legibus divinis“ consonant, „certe est obediendum“. [1]) Lex divina intelligenda est ea, quam in vetere et quam in novo testamento Deus tulit. Veteris illius legem foederis „Deus per Moysen litteris scripsit et per prophetas, quae deerant, implevit“; [2]) novi et ‚aeterni‘ testamenti legem Jesus dedit atque ecclesiae custodiendam commisit. Attamen lex illa Moysi et prophetae et evangelium non sibi contraria sunt: nam „proprias leges Deus non damnavit, neque nuntium contraria praecepturum“ nobis misit. [3]) Imo hae leges „in unum semper conveniunt et in una gloria permanent. Legi enim et prophetis et evangelio non tria sed unum est tabernaculum, quae est ecclesia Dei“. [4]) Item fatendum est „in lege et evangelio unum atque eundem inesse sanctum Spiritum“. [5]) Utramque ergo legem Deum tulisse unum credendum est, qui sibi contradicere nesciat.

Moysi lex *(ὁ νόμος)* diversimode nominatur: lex, tamquam rei publicae statum ordinans; testimonium, veluti praevaricationem testificans et transgressionis vindictam ostendens; iu-

---

reddat, secundum iudicium conscientiae tamen legi fidei non potest aequari.“ Ib. l. c. IV. 3.

[1]) *τοῦ μὲν ὄντος τῆς φύσεως νόμου, ὃν Θεὸς ἂν νομοθετήσαι, ἑτέρου δὲ τοῦ ταῖς πόλεσι γραπτοῦ.* Cels. V. 37, cf. ib. 38, 39; VIII. 26.

[2]) H. in Gen. XV. 5.

[3]) Cels. VII. 26.

[4]) H. in Levit, VI. 2.

[5]) Ibid. XIII. 4; Clemens Al. habet eandem doctrinam. Pugnabant enim veteres ecclesiae doctores contra haereses gnosticorum, qui veterem ac novam legem esse unius auctoris negabant. Paed. I. p. 133. has haereses refutans veterrimum esse evangelium dicit Clemens et iam litteris veteris legis expressum *(κεχαραγμένη)* esse. Cf. Redep. I. p. 138. Item Origenes veterem ac novam legem esse unius legislatoris acriter defendit contra gnosticos, praecipue Marcionitas, qui veterem legem esse demiurgi dicebant, Pr. II. 4. 1. — Recte etiam Clem. Al. de auctoritate ecclesiae senserat, dicens, scripturam principium quidem et regulam esse ethicae cognitionis, scripturam tamen secundum doctrinam ecclesiae intellectam et interpretatione ecclesiae cognoscendam, cf. Winter. l. c. p. 25; similia his docet Origenes: „si vero secundum hanc intelligentiam, quam docet ecclesia, accipiatur Dei lex, tunc plane omnes humanas supereminet leges et vere Dei lex esse credetur.“ H. in Lev. VII. 5.

stitiae, quod ad honestum provocat et iniustum prohibet; praeceptum, eo quod, quid agendum sit, praecipit et Domini more imperat; iudicia, quod ostendat, quibus bonis perfruetur, qui eam custodit, quibusque suppliciis plectetur, qui transgreditur.[1]) Lex ergo est „generale vocabulum", cuius partes sunt iustitiae, iudicia, mandata, iustificationes, „aliae quam plurimae species".[2]) Attamen non solum summa singulorum praeceptorum sed etiam specialiter „pars aliqua ex iis, quae in lege scripta sunt, lex dicitur".[3]) Lex vero vetus Judaeorum valde erat utilis et rationabilis, cum ea, quae rem publicam respiciebat, tum ea, quae ad vitam humanam ordinandam scripta erat. Atque quod ad legem civilem pertinet, e civitate Judaica, „quantum inter homines fieri potest, expulsa fuerant, quaecumque generi humano inutilia sunt, retenta illa sola, ex quibus capi fructus poterat".[4]) Non enim esse volebant in civitate Judaica athletarum certamina neque circum neque spectacula, minime etiam meretrices et scorta, per quas libido iuvenum excitatur, et naturalis ordo et procreatio et propagatio generis humani impie violatur.[5]) Quid autem de lege morali? Docebat populum iam „tum ab teneris unguiculis sese supra naturam omnem sensilem evehere, inclusum in ea Deum non existimare, sursum illum et supra corpora quaerere"; docebat omnes „adhuc balbientes animae immortalitatem, subterranea tribunalia, mercedem recte viventibus destinatam". Quam autem prudenter haec educatio facta sit legis, ex eo cognoscitur, quod praecepta moralia infantibus et insipientibus „veluti sub fabularum involucro narrabantur", doctioribus et sapientia profectis, si ita dici licet „fabulae transformabantur in veritatem, quae

---

[1]) Sel. in Ps. XVIII. vers. 10; eadem saepe enumerantur, e. g. h. in Num. XI. 1; h. in Exod. X. 1.

[2]) Com. in ep. ad Rom. II. 13.

[3]) „Nomen autem legis dupliciter dicitur, nam generaliter omnia ista, hoc est mandatum, iustificationes, cet. lex appellantur, specialiter autem pars aliqua ex iis, quae in lege scripta sunt, lex dicitur". H. in Num. XI. 2.

[4]) Cels. V. 42. Ceterum multa in lege Mosaica „si ea nude observari oporteat, absurdum, aliae (leges) impossibile praecipiunt." πολλοί τῶν νόμων, τὸ ὅσον ἐπὶ τῷ καθ' ἑαυτοὺς τηρεῖσθαι, τὸ ἄλογον ἐκφαίνουσιν, ἕτεροι δὲ τὸ ἀδύνατον. Pr. IV. 17, cf. exempla ib l. c. Similia etiam de evangelio dici possunt. Ib. IV. 18.

[5]) Ib. l. c. Recte turpitudinem luxuriae intelligit Origenes. Ob eandem causam hoc peccatum damnat s. Thomas Aq. de malo q. 2. a. 10: „peccatum luxuriae, quod opponitur vitae hominis in potentia, quia est inordinatio quaedam circa actum generationis humanae."

in iis involuta erat". [1]) Atque ita Judaica gens, „quae tam nobilibus disciplinis docta est, ad increatam Dei naturam assurgere, illum solum prae oculis habere, in illo solo suas spes omnes reponere" didicit. [2]) Cum philosophicorum valor systematum ex ethica intelligatur, Moyses, qui leges tam admirabiles et utiles populo suo dedit, certe pluris aestimandus est quam legislatores alii, etiam Graecorum, quorum leges et praecepta moralia a plurimis laudantur. [3]) Quod apparet, si conferimus morales illorum leges cum eius legibus et praeceptis, praesertim si consideraverimus laborare omnes illorum leges uno vitio, quod non respiciunt homines simplices et minus doctos. Ita etiam praeclarorum Graecorum philosophorum praecepta moralia, persaepe admodum rationabilia et sana, pro parva tantum sapientium caterva scripta sunt; Moyses autem omnes allocutus ab omnibus intelligitur. [4])

Habuit ergo lex vetus valorem suum; „hoc autem, in quo nunc sumus, tempus est vocationis gentium et mortis legis". Mortua nempe est lex, cum non iam sint sacrificia, altare, templum, purificationes, solemnitates Paschae; „nonne mortua est in his omnibus lex"? [5]) Sumus ergo in tempore legis novae [6]) per Jesum magistrum promulgatae, „qui summi Dei doctrinam, cultum omnemque morum tradidit disciplinam, quae supremo Deo conciliare potest, quicumque suos ad eam mores compo-

---

[1]) Cels. V. 42.

[2]) Cels. IV. 38.

[3]) Recte hoc sentit Adamantius: ipsi optimi philosophi saepe turpissimas defendunt leges. Spartanorum crudelitas erga proprios liberos nota est. Socrates non docet amare hostes et inimicos, veram castitatem non agnovit; etsi monotheismum semper docere videtur, practice tamen polytheismo favet et idolis sacrificat. Aristoteles de creatore et gubernatore Deo non rectam habet sententiam; liberum arbitrium non plane recte definivit; approbat inimicos odisse, interficere, in servitutem abigere; abortum permittit et infantium infirmorum occisionem. Plato paederastiam approbat; mulieres in sua civitate vult esse omnibus communes etc.; Stoici dicunt suicidium esse licitum. cet. Quod tamen boni erat in doctrina omnium horum philosophorum, paucis tantum viris nobilibus vel doctis notum erat, non enim communem et simplicem hominem respiciebant philosophi.

[4]) Cels. I. 18.

[5]) H. in Gen. VI. 3.

[6]) *τελεία τῷ ὄντι καὶ ἀληθὴς . . αὐτοτελὴς καὶ ἀπροσδεὴς* (i. e. complemento non indigens) *ἡ κατὰ τὸν σωτῆρα διδασκαλία, δύναμις οὖσα καὶ σοφία τοῦ Θεοῦ*, uti vocat Clem. Al. Strom. I. p. 377; II. 430. Cf. Redep. I. p. 148. Lex nova appellatur ab Origene Cels. III. 81: *διδασκαλία παντὸς ἀφιστᾶσα γενητοῦ, προσαγαγοῦσα δὲ δι' ἐμψύχου καὶ ζῶντος λόγου τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ.*

suerint". [1]) Erudiuntur hac lege et sapientes et indocti ad Dei servitium, [2]) atque omnes simul impellimur, ut, quae sunt sensibilia et temporalia, parvi pendamus omniaque faciamus, ut intime Deo uniamur atque contemplationem rerum invisibilium adipiscamur, vitamque aeternam. [3]) Et sic Jesus est, „cuius secunda lege — (veteris enim testamenti lex non lata est sine Verbo divino) — i. e. praeceptis evangelicis ad perfectum omnia perducuntur"; [4]) idemque „antiquatis institutis pristinis moribusque patriis, in quibus gentes educatae fuerant, rei publicae formam evangelicis praeceptis consentaneam superinduxit". [5]) Vult enim Deus cognitione sui animis nostris felicitatem conferre; hanc ob rem curavit, ut Christus Verbumque, sine quo nec lex vetus data est, quique in omnium cordibus operatur, perpetuo apud nos versaretur nosque ad eius familiaritatem invitaret. [6])

Tres porro sunt gradus, per quos Deus homines ad sequendum suam voluntatem perduxit. Primum erat tempus ante legem Mosaicam, quod legem tantum naturalem habebat; ita Abraham, cum Moysi lex nondum scripta erat, eam legem habuit, quam apostolus etiam gentium cordibus Deum inscripsisse dicit; [7]) item Sodomitae peccantes hanc „naturalem tantum legem habebant". [8]) Deinde, postquam Deus per Moysem legem dedit, quae populum Judaeorum, sed etiam gentes ad adventum Christi praepararet, Jesus legem tulit universalem [9]) et sempiternam. [10]) Ne-

---

[1]) Cels. I. 30.

[2]) Cels. III. 47; VII. 41; III. 73: sicut nonnulli civitatum legislatores etiam simplicibus hominibus leges dederunt, „ut illos regerent, sic et Deus in Jesu leges ferens etiam non prudentes regit, quatenus ad melius huiusmodi homines agi queant".

[3]) Cels. III. 55; ib. IV. 32: ἔθετο (Jesus) νόμους, καθ' οὓς οἱ βιοῦντες μακάριοι ἔσονται.

[4]) Pr. IV. 24.

[5]) Cels. II. 52.

[6]) Cels. IV. 6.

[7]) Sel. in Gen. 40.

[8]) Sel. in Thren. IV. vers. 6.

[9]) Universalitatem legis redemptionis contra haereticos Basilidem et Valentinum defendit Clemens Alexandrinus, cf. Redep. I. p. 152; item Origenes dicit fore, ut gentium aboleantur falsae doctrinae et idolorum cultus; Christi religionem omnes alias superaturam, omnes populos ad veram fidem se conversuros cet. Cels. VIII. 68.

[10]) Lex nova secundum Clem. Al. est perfectio cum veteris legis tum

que tamen, quae in lege Moysi praescribebantur, Jesus contempsit. Ipse enim Jesus, quamquam novam legem daturus erat, nihil veteris legis est transgressus, imo, quantum lex postulabat, ipse omnia implevit, ut nos redimeret a maledicto legis. [1]) Post autem mortem Jesu plane est abrogata lex vetus, et sola nova lex observanda. Itaque non omnimodo nos omnes, „qui de ecclesia catholica sumus, spernimus legem Moysi, sed suscipimus eam, si tamen Jesus eam nobis legerit. Sic enim recte poterimus intelligere legem". [2]) Leges autem divinae, cum sint „optimae legum, quae in terra sunt", [3]) tamen ab Origene non putantur esse absolute optimae sed relative. Nam „religionis christianae auctor, quibus ad morum emendationem legibus indigebant plurimi", has iis leges dedit. [4])

Etsi autem lex Jesu non contraria est legi veteri, tamen in multis ab ea differt. Atque primum quidem lex nova magis concordat cum lege naturali quam vetus, quippe quae abundet caeremoniis et mandatis positivis paene innumerabilibus. Imo in lege vetere multa sunt, quae plane sunt impossibilia, e. g. „observatio Sabbati", quae scripta sunt „de sacrificiorum ratione, quae simul omnis ex integro impossibilis facta est". [5]) Multo magis lex naturalis cum evangelio convenit, „ubi cuncta ad na-

philosophiae. Ex quo Christus ipse legem dedit nosque veritatem ipse docuit, non iam indigemus philosophis. Strom. II. p. 430: *ἡμῖν οὖν βάρβαρος φιλοσοφία, ἣν μεθέπομεν* . . ib. VI. p. 767: *ἡ καθ' ἡμῖν φιλοσοφία* (sc. evangelii lex) *τελεία καὶ ἀληθής*. Redep. I. p. 148; 149. adn. 6; 175; de Origene cf. ib. p. 335: „Als die Offenbarung der höchsten Vernunft ist das Christentum in allen seinen Teilen vernunftgemäß; es kann durch dialektische Beweisführung erwiesen (Cels. I. n. 320) und wissenschaftlich oder systematisch dargestellt werden." de Pr. I. 95; cf. quae sequuntur, „diese wissenschaftliche Einsicht hat Origenes die Weisheit oder die göttliche Weisheit genannt, (*σοφία, θεία σοφία* Cels. VI. 13. Sel. in Ps. IV. n. 568) nicht Gnosis, wie dies bis auf seine Zeit, namentlich bei Clemens, das gewöhnliche war."

[1]) H. in Jes. Nav. XV. 4.

[2]) Ib. IX. 8.

[3]) Cels. VIII. 6.

[4]) Haec eum loquentem facit Origenes: „has quam optimas tuli, doctrinam institui, poenas et supplicia intentavi peccantibus, nec ea quidem commentitia, sed certa et pertinacibus corrigendis necessario minitanda, quamvis non omnino aut punientis consilium aut fructum e suppliciis capiendum intelligant". „Atque haec de poenis doctrina tam utilis est quam veritati consentanea." Cels. III. 79; cf. Redep. I. p. 278 sq.

[5]) Com. in ep. ad Rom. VI. 12.

turalem referuntur aequitatem. Quid enim ita naturalibus sensibus proximum, quam ut, quae nolunt sibi fieri homines, haec ne faciant aliis? Legi vero Moysi concordare lex naturalis secundum spiritum, non secundum litteram potest", e. g. de circumcisione octavo die facienda. [1]) Summo ergo iure lex vetus „lucerna" appellatur, cum lex nova non iam sit lucerna sed ipsa „lux". [2])

Lex insuper vetus in multis severior esse videtur quam nova atque persaepe postulabat poenam mortis; mitior quidem est lex evangelii, attamen „in utraque Dei benignitas diversa dispensatione" tenebatur. „Hoc quod secundum legem v. c. adulter vel adultera praesenti morte puniebatur, . . . receperunt enim peccatum suum, et consumpta est criminis poena. Et ideo invenitur hoc genus praecepti non crudele; . . . sed plenum misericordia, iccirco quod per hoc purgaretur ex peccatis populus magis quam condemnaretur"; in nova lege tales poenae non sunt constitutae, sed omnia peccata luuntur per poenitentiam, quam nisi pro gravibus peccatis agimus, nobis „ultio reponitur in futurum"; „illos absolvebant commissi sui persoluta supplicia". [3])

Lex Jesu „non est contrarium legi sed perfectius lege, sicut et lex homicidium vetat, Jesus autem etiam iracundiam resecat, et cum lex prohibet adulterium, Jesus etiam concupiscentiam cordis abscindit". [4]) Cum omnino lex vetus exteriorem quandam

---

[1]) In ep. ad Rom. II. 9; quae huc pertinent de allegorica interpretatione legis et de triplici sensu in scriptura sacra inveniendo, puto hic omittenda esse, quia in omni patrologia satis distincta referuntur. Sequitur hac in re Clementem Origenes. Cf. Redep. l. c. I. 137; 300–316; Denis l. c.: méthode d'Origène, p. 27 sq.

[2]) Exp. in prov. c. V. vers. 68.

[3]) H. in Levit. XI. 2; ib. XIV. 4: „mors, quae poenae causa infertur pro peccato, purgatio est peccati ipsius, pro quo iubetur inferri. Absolvitur ergo peccatum per poenam mortis, nec superest aliquid, quid pro hoc crimine iudicii dies et poena . . . aeterni ignis inveniat . . . hic enim mors pro vindicta datur, et apud iustum iudicem Dominum non vindicatur bis in idipsum." Cf. infra de peccatis, ubi agetur de peccatorum remissione in vetere et in novo testamento obtinenda.

[4]) H. in Levit. VI. 3; cf. Min. Felix Octav. c. 35: „apud nos et cogitare peccatum est". Iren. adv. haer. I. 6. 3: *ἡμῶν διὰ τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ φυλασσομένων καὶ μέχρις ἐννοίας καὶ λόγου ἁμαρτεῖν.* Idem docent omnes patres, atque huius rei aliquid etiam in nonnullis philosophis invenitur, cf. Seneca de benef. V. 14; Marc. Aurel. I. 3. — De doctrina Clementis Al. cf. Redep. I. p. 149: „Auch

legalitatem multum respexerit, in nova lege omnis valor hominis in interiore vita i. e. in habitu cordis circa leges ordinato vitaque virtutes agente ponitur. Quare, qui omnia observat mandata „in uno autem offendit, is fit omnium reus (Jac. II. 10), cum lex novi testamenti non sit summa singulorum praeceptorum, sed unum quoddam, in se contenta et indissolubilis unitas, ad quam non extrinsecus tantum singula alia adiunguntur, sed ex qua omnia alia deducuntur et oriuntur. Qui ergo unam violat legem, unitatem totam violat et offendit sanctitatem totius legis. [1]) — Veteres Judaei per legem impellebantur, ut hostes ulciscerentur et occiderent, [2]) christiani autem habent leges „ita pacificas, ut propter eas factum fuerit, ut velut oves interficerentur, nec per eas liceat de persecutoribus sumere supplicium"; [3]) ipsi benignam mansuetamque legem servarunt, quam docti erant, hostes non ulciscendi. Quare cum etiam in omnibus aliis rebus haec lex se praebeat valde bonam et salutarem, non tantum uni populo volebat Deus eam dare, „imo consistere voluit eam et universam terram salutari illa et piissima doctrina repleri". [4]) Quare perfecta ista lex ecclesiae catholicae commissa est; „in ecclesia Dei locus sanctus est, fides perfecta et caritas de corde puro et conscientia bona; qui in his stat, in Ecclesia in loco sancto stare se agnoscat". [5])

Cum leges secundum suam naturam habeant vim obligandi, officia nostra iis determinantur. Hoc quidem de lege divina in du-

---

führte (Christus) uns zugleich in das tiefere Verständnis unseres eigenen Wesens ein, lehrte Enthaltsamkeit nicht wie die Philosophen allein von der sündlichen That, sondern auch von dem Begehren (Strom. III. p. 537), gab uns dazu die Macht und bildete uns zu göttlichen Wesen um." Cf. ibid. l. c. „Es verhält sich also die Wahrheit in der Philosophie zu der Christlichen Lehre, wie zur Sonne das Bild von ihr, wie der Schein zu dem Sein; nur einen Vorgeschmack (*πρόληψις*) der Wahrheit bietet jene, eine Grundlage ist sie, auf welcher weitergebaut werden muß."

[1]) Sel. in Ps. CXVIII. 6: „sunt, qui assumunt testamentum Dei per os suum, et cum legem Dei in ore habeant, vita et actus sui longe a verbis eorum et sermonibus discrepant." H. in Lev. VII. 5.

[2]) Cels. VII. 26.

[3]) Ib. III. 7.

[4]) Ib. III. 8.

[5]) H. in Levit V. 3; quae docuit Origenes de ecclesia, bene exposuit Redep. I. 351 sq.

bium vocari nequit, quia voluntas Dei est suprema, imo unica norma actionum nostrarum; sed idem sentiendum de legibus omnibus aliis, in quantum cum voluntate divina concordant. Obligatio autem obiectiva fit subiectiva ex sufficienti legis notitia. [1]) Primum quidem homines omnes tenentur per legem divinam, sc. naturalem, extra quam, cum sit universalis, nemo mortalium positus est. Hac autem in lege sunt ii, „qui id aetatis agunt, quo discretionem boni malique iam capiant. Haec ergo lex naturalis loquitur omnibus, qui in lege sunt, ex cuius praeceptis soli mihi immunes fieri videntur infantes, quibus nondum inest pravi rectique iudicium. Sed his, si etiam illi sociandi sunt, qui quacumque ex causa impotes sunt mentis, videto“. Praeter hos „nullus hominum mihi effugere videtur hanc legem“; [2]) etiam „gentes redarguuntur a conscientia in his, quae contra hanc legem facere videntur“. [3]) De infantibus, qui nondum sub lege sunt, etiam apostolus nos docuit: „quia in pueritia, priusquam discretionem quis habeat boni et mali, sine lege esse dicitur, cum etiam si peccat, quia lex in eo non est, peccatum ei non imputatur. Cum vero boni malique discretionem acceperit, venisse ei dicitur lex et dedisse mandata. Ubi autem inest vis mandati, hoc est conscientia redarguens, peccatum, quod prius in eo mortuum erat, dicitur revixisse“. [4]) Per legem igitur fit etiam agnitio peccati. „Dum per legem discimus, quid agendum sit, quid cavendum, simul et quid peccatum sit, et quid non sit, cognoscimus.“ Non tamen, „ut haeretici Deum legis accusant, mala radix est lex et mala arbor, per quam peccati veniat agnitio“; contra quos respondendum non „ex lege“ ortum, „sed per ipsam agnitum esse

---

[1]) Cum lex dicat, quid liceat agere, quid fieri non liceat, „necesse est illud, quod caveri dicit, edoceat, quale sit, quo per hoc facilius caveri possit. Nemo enim potest vitare, quod nescit“. In ep. ad Rom. VI. 8; cf. ib. II. 13.

[2]) In ep. ad Rom. III. 6; cf. ib. l. c. quae praeexistentiam animorum sapientia docet auctor: „huiusmodi lex etiam supernis et coelestibus ordinibus inserta videbitur, quibus utique et observandi quiddam et quiddam cavendi disciplina est.“

[3]) Ib. III. 3.

[4]) Ib. l. c.; cf. ib.: „ubi ergo quaerimus hominem, in quo non sit lex, et qui per hoc non sit in praevaricatione peccati? Unde constat tunc fieri hominem sub lege, quando ad id aetatis venerit, ut eligere possit et discernere, quid sit lex; nec prius legis illius extrinsecus iugum suscipere, quam internae et naturalis legis habere incipiat firmitatem.“

peccatum"; est ergo lex bona, per quam deprehenditur et agnoscitur peccatum. [1])

Ad obligationem legis naturalis accedit sanctio quaedam et firmatio ex lege revelata. Quod maxime verum est de lege Christi. „Multi enim maioris opprobrii est, qui post evangelium quam ille, qui sub lege positus fornicatur." [2]) Imo, ut aliquis his divinis legibus recte obediat, requiritur, ut in supernaturalis vitae statu officiis suis satisfaciat et ita iustificari possit. Quare certum est, „si quis habeat integra omnia, quae lex edocet naturalis, et in nullum eum peccati conscientia reprehendat, non tamen habeat etiam fidei gratiam, non posse eum iustificari. Fides enim est, quae ad iustitiam reputatur". [3])

Ab humanis legibus requiritur, ut sint bonae et utiles. „Qualis arbor sit lex, ex fructibus suis, i. e. ex praeceptorum sermonibus declaratur." [4]) Scytharum leges e. g. malae sunt, qui parentes senescentes interficiunt et fratres vel sorores in matrimonium ducunt. [5]) Habet civitas vel urbs quaeque leges suas: „ubi scripta haec lex divinae non adversatur, illam decet a civibus observari et legibus exteris anteponi; sed, ubi scriptae legi lex naturae, hoc est Dei, contraria praecipit, vide an non ratio velit, ut scriptis legibus valere iussis spretaque legislatorum voluntate soli Deo legislatori pareatur, et ex eius praescripto vita componatur, etiam si id facientem pericula, labores innumeri,

---

[1]) Ib. III. 6; Exp. in Prov. V. 68: „nam per legem cognitio peccati." Putaret aliquis haec dici non de lege naturali, sed de lege *κατ' ἐξοχὴν* i. e. de lege vetere, cum proprie lex naturalis non meliorem det peccati cognitionem, imo ipsa sit prima conditio, sine qua peccari omnino non possit. Sensus autem Origenis hic est: Omnibus hominibus cum insit lex naturalis, ii tamen quibus inest, uti vocamus, in actu primo, non iam peccant, sed iis solis, quibus etiam inest in actu secundo, vere attribui potest cognitio et malitia peccati. Non ergo de lege vetere hic loquitur Origenes, ut etiam ex propriis dictis demonstrari potest. Loquitur omnino hoc loco de lege naturali; dicit „Judaeos et Graecos omnes sub peccato esse": „quod astruximus in superioribus dicentes non de lege Moysi dictum"; „haec non de Moysi sed de naturali lege conscripta". „Per legem enim agnitio peccati . . . poterat tamen naturae lex arguere peccati naturam et notitiam eius ostendere". Com. in ep. ad Rom. III. 6. 7.

[2]) H. in Jes. Nav. V. 6; Cels. V. 37.

[3]) Ep. ad Rom. IV. 5.

[4]) Pr. II. 5. 4.

[5]) Cels. V. 2; V. 27.

[6]) *τὸν τῇ φύσει πάντων ἐπιγνόντες βασιλέα νόμον τὸν αὐτὸν ὄντα τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ κ. τ. λ.* Cels. V. 40; in ep. ad Rom. VI. 8.

mors, ignominia manerent". [1]) His ergo legibus in civitatibus constitutis tunc solum obediendum est, si cum divina lege consonant. Accidit autem etiam saepe, ut hae leges civiles proprie non sint leges, „cum plerumque sibi invicem non consentiant". [2]) Generalis ergo regula in legibus observandis haec statui potest, ut legi naturae semper obediatur, eodem modo, imo multo alacrius legi divinae positivae, humanis vero legibus, in quantum his congruunt. [3]) Cum vero multo melius sit Deum honorare et alios neglegere, [4]) si ab iis, qui secundum legem iudices nostri sunt, duo tantum nobis eligenda dantur aut vivere, si legem Jesu transgressi erimus, aut mori, si eius legibus obediemus, certe licet et rationabile est mortem pati. [6]) Item si salus civitatis per leges malas in periculum vocatur, certe „non absurdum est foedera contra legem inire veritatis defendendae causa". [7]) Hanc ob rem etiam ii recte faciunt, qui inter se clam foedera ineunt, „ut tyrannum urbem invadentem e medio tollant". [8])

---

[1]) Cels. V. 37; cf. 38. 39.

[2]) Etiam interdum sunt „improborum leges, quibus parendum non est". Cels. VIII 26.

[3]) Cels. VIII. 55. 65: *ἔνθα μέντοι οὐδὲν ἐναντίον πράττομεν νόμῳ καὶ λόγῳ Θεοῦ, οὐ μεμήναμεν οὐδ' ὁρμῶμεν καθ' ἑαυτῶν ἐγείρειν βασιλέως ἢ δυνάστου θυμὸν, ἐπὶ αἰκίας καὶ βασανιστήρια ἢ καὶ θανάτους ἡμᾶς φέροντα.*

[4]) Cels. VIII. 56.

[5]) Ib. VIII. 75.

[6]) Cels. VIII 55: *φαμὲν . . . ὅτι εὔλογος ἐξαγωγὴ οὐδεμία ἡμῖν εἶναι δοκεῖ, εἰ μὴ δι' εὐσέβειαν καὶ ἀρετὴν μόνη· ἐπὰν ὑπὸ τῶν δικάζειν νομιζομένων ἢ ἐξουσίαν τοῦ ζῆν ἡμῖν ἔχειν δοκούντων τὸ ἕτερον προτείνηται· ἢ τὸ ζῆν μετὰ τοῦ παρὰ τὰ διατεταγμένα ὑπὸ τοῦ Ἰησοῦ πράττειν, ἢ τὸ ἀποθνήσκειν μετὰ τοῦ πείθεσθαι τοῖς λόγοις αὐτοῦ.*

[7]) *οὐκ ἄλογον οὖν συνθήκας παρὰ τὰ νενομισμένα ποιεῖν τὰς ὑπὲρ ἀληθείας.* Cels. I. 1.

[8]) *ὥσπερ γὰρ οἱ ὑπὲρ τοῦ τύραννον προλαβόντα τὰ τῆς πόλεως ἀνελεῖν συνθήκας τινὲς κρύβδην ἐποιοῦντο, καλῶς ἂν ἐποιοῦντο . . .* Cels. I. 1: non est dubium, quin sit tyrannus illegitimus „urbem invadens" et cives opprimens. Loquitur Origenes Cels. VIII. 65, de „regum et dynastarum constitutione", „de crudeli et tyrannico imperio", quod multi exerceant, et de iis, „quibus imperium est voluptatibus deliciisque se iniurgitandi occasio". Nihil tamen dicit, num liceat etiam tales (t. legitimos) e medio tollere; immo ne iis quidem verbis, quibus laudat eos, qui tyrannum e medio sustulissent, permittere videtur tyrannum interficere, cum aliis locis homicidium omnino non licere dicat. Etiam Cels. VIII. 65 Origenes verba citans apostoli (Rom. XIII. 1. 2) omnem potestatem datam et ordinatam dicit esse a Deo, ita ut secundum

Cum tot leges et divinae et humanae hominibus datae sint, recte putat auctor in hac vita fieri non posse, ut una hora lege et officiis careamus, imo certum esse nos die nocteque multis officiis teneri. Eo certe non sentit semper nos legibus provocari ad actiones proprias, sed honestatis regulam totam vitam ita complecti, ut quaedam prohibeat omnino (semper et pro semper) et omnia, quae ratione fiunt, morum regulae subiciat.[1])

eius doctrinam non liceat regem tyrannicum sed legitimum e medio tollere. Menti Origenis exempla quaedam obversari videntur ex Graecorum historia desumpta.

[1]) De orat. 28. H. in Levit. II. 5.

V. De conscientia, libero arbitrio, gratia.

Anima nostra rationis particeps ad virtutem formata est, et impressum servat imaginis Dei characterem. [1]) Itaque nostra „ratio, suam a Verbo, quod est apud Deum, habens originem", supra omnes alias creaturas ad ipsum Deum nos evehit. [2]) Hoc naturalis rationis lumine illuminati ex his, quae videri possunt, multa invisibilium cognoscimus. [3]) Cognitio enim nostra a sensibus incipit; sed inde ad rerum intelligibilium naturam progredimur. [4])

Praeter hanc intellectualem etiam moralem indolem omnes homines habent. Ut enim notio Dei firme omnium animis impressa est, [5]) ita etiam, quae ad primum eius cultum spectant, animis nostris impressa sunt. [6]) Neque enim hominem reperies, in quo „communes de honesto iustoque, de turpi et iniusto notiones prorsus deletae fuerint". [7]) Anima ergo nostra ad

---

[1]) *ἐν ψυχῇ λογικῇ τῇ ποίᾳ κατ' ἀρετὴν κ. τ. λ.* Cels. VII. 66.

[2]) *ἐπίστησον δέ, εἰ μετέχουσί πως αὐτοῦ πάντες ἄνθρωποι, καθ' ὃ Λόγος ἐστίν*, in Joan. tom. I. 42; *ὁ γὰρ λόγος, τὴν ἀρχὴν ἔχων ἀπὸ τοῦ παρὰ Θεοῦ λόγου, οὐκ ἐᾷ τὸ λογικὸν ζῶον πάντῃ ἀλλότριον νομισθῆναι Θεοῦ.* Cels. IV. 25.

[3]) In ep. ad Rom. I. 16.

[4]) Cels. VII. 37; de cognitione Dei quadam naturali, quam forte Clemens et Origenes (et ipse Augustinus) immediate fieri docuisse videntur, cf. Kleutgen, Philosophie der Vorzeit, Münster 1860. I. Bd. p. 732 sq.; Schwane, Dogmengeschichte I^{2}. p. 39—67; de Tertulliano cf. Esser, l. c. p. 168 sq.

[5]) *τὴν περὶ αὐτοῦ (Θεοῦ) ἀδιάστροφον ἔννοιαν.* Cels. II. 40.

[6]) *ἀλλ' ἡ κοινὴ ἔννοια ἀπαιτεῖ ἐννοεῖν, ὅτι Θεὸς οὐδαμῶς ἐστιν ὕλη φθαρτή.* Cels. III. 40; cf. ibid. I. 5. cet.

[7]) *οὐδὲ γὰρ τὰς κοινὰς ἐννοίας περὶ καλῶν καὶ δικαίων καὶ αἰσχρῶν καὶ*

virtutem comparata [1]) virtutis est capax, atque in mente impressa virtutis forma est, seminaque illius insita sunt nobis, quae nunquam exstirpari possunt. [2]) Cum igitur „potestate“ *(δυνάμει)* virtutem habeamus, [3]) imperfectum quiddam certe est anima, quae per virtutem et scientiam formata non est. [4]) Decet ergo nos taliter ornatos ad Deum, naturam scilicet nostrae affinem, respicere et in creatorem naturalem concipere amorem [5]) et, quae nobis dedit potestate *(δυνάμει)*, actu *(ἐνεργείᾳ)* exercere. [6]) Nimirum viribus nostris solis hoc non bene possumus et indigemus divino adiutorio; Deus autem in hoc semper nos adiuvat, cum ut eum quaeramus, tum ut inveniamus. [7]) Si ergo Deum neque quaerimus neque bonum facimus, quod facere debemus, nostra culpa est, et hanc ob rem a nobismetipsis iudicamur ope conscientiae, quam ad hoc creator nostrae naturae nobis indidit; haec conscientia *(συνείδησις)* in anima est, et cum ad aetatem discretionis pervenerimus, operari et iudicare incipit cum in christianis tum in gentibus. [8]) Novit enim uniuscuiusque conscientia,

---

ἀδίκων εὕροι τις ἂν πάντως ἀπολωλεκότας. Πάντες οὖν ἄνθρωποι ὁρῶντες τὸν κόσμον καὶ τὴν ἐν αὐτῷ τεταγμένην οὐρανοῦ καὶ τῶν ἐν τῇ ἀπλανεῖ κίνησιν τῶν δὲ φερομένων ἐναντίως τῇ τοῦ κόσμου κινήσει λεγομένων πλανητῶν τάξιν, ὁρῶντες δὲ καὶ τὴν τῶν ἀέρων καὶ πρὸς τὸ χρήσιμον ζώοις καὶ μάλιστα ἀνθρώποις κρᾶσιν, καὶ τὴν ἀφθορίαν τῶν δι᾽ ἀνθρώπους δεδημιουργημένων εὐλαβείσθωσαν δύσαρετόν τι ποιῆσαι τῷ Δημιούργῳ τοῦ παντός. Cels. VIII. 52.

[1]) *τὴν πρὸς ἀρετὴν κατεσκευασμένην ἀνθρωπίνην φύσιν, (κἂν δι᾽ ἄγνοιαν ἐξαμαρτάνοι).* Cels. IV. 25.

[2]) *δυνάμει ἔχοντας τὴν ἀρετὴν καὶ τὰ σπέρματα αὐτῆς πάντῃ ἀπολέσαι οὐ δυναμένους.* Cels. IV. 25.

[3]) *δυνάμει ἔχοντες τὴν ἀρετήν.* ib. l. c.; cf. com. in ep. ad Rom. VIII. 2, ubi agitur de „possibilitate“ *(δύναμις)* et „efficientia“ *(ἐνέργεια)*.

[4]) Sel. in Ps. CXXXVIII. 16: *ἀκατέργαστον ψυχὴ ἡ μὴ δι᾽ ἀρετῆς μορφωθεῖσα καὶ γνώσεως.* Cf. h. in Gen. I. 7; Pr. III. 2. 2 et 3.

[5]) *ἡ λογικὴ ψυχὴ φίλτρον ἀναλαμβάνει φυσικὸν τὸ πρὸς τὸν κτίσαντα* Cels. III. 40.

[6]) Cf ep. ad Rom. III. 2.

[7]) *ὅτι οὐκ αὐτάρκης ἡ ἀνθρωπίνη φύσις, ὅπως ποτανοῦν ζητῆσαι τὸν Θεὸν καὶ εὑρεῖν αὐτὸν καθαρῶς, μὴ βοηθεῖσα ὑπὸ τοῦ ζητουμένου.* Cels. VII. 42; *μείζονα ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν εἶναι τὴν γνῶσιν τοῦ Θεοῦ . . . Θείᾳ τινι χάριτι οὐκ ἀθεεὶ ἐγγινομένῃ γιγνώσκεσθαι τὸν Θεόν. κ. τ. λ.* Cels. VII. 44; cf. VII. 46.

[8]) In ep. ad Rom. III. 2; *συνείδησις*, com. in Matth. tom. XI. 14. Stoici, qui plurima verba novaverunt, (cf. Cic. div. I. 3; acad. IV. 33.) ita primum conscientiam appellaverunt.

quis sit integer, quis sit incorruptus atque impollutus. [1]) Haec enim conscientia est lex, quam in omnium cordibus inscriptam esse apostolus dicit. [2]) Itaque videmus multos post peccatum commissum conscientiae stimulis agitari, morderi sine intermissione atque occultis confutationibus impugnari. [3]) Item hi, qui peccarunt, siquidem occultant et retinent intra se peccatum, hac conscientia intrinsecus urgentur et propemodum „suffocantur a phlegmate vel humore peccati". [4]) Attamen si quando a conscientia tua te notari vides eiusque verberibus flagellari, spem tibi emendationis ac salutis praesumere potes. [5]) Maxime, quid sit conscientia, scire iuvat, quare acriter discutit Adamantius et diligenter perquirit, „quid istud sit, quod conscientiam vocat apostolus: utrumne alia sit aliqua substantia, quam cor et anima". Huius enim conscientiae, de qua dicatur, „quia reprehendat, non reprehendatur, et iudicet hominem non ipsa iudicetur", satis magna certe est libertas, quae in bonis quidem gestis gaudet semper et exsultat, in malis vero non arguitur, sed ipsam animam, cui cohaeret, reprehendit et arguit; quare „arbitror, quod ipse sit spiritus, qui ab apostolo esse cum anima dicitur . . . velut paedagogus ei quidam sociatus et rector, ut eum de melioribus moneat, vel de culpis castiget et arguat". [6])

Non plane aperta sunt, quae hic et alias inveniuntur dicta ab Origene de conscientia. Nominat eam „spiritum hominis, qui in eo est". [7]) Hic autem spiritus hominis non est aliquid supernaturale, ut e. g. s. Irenaeus spiritum *(πνεῦμα)* vocat gratiam sanctificantem, sed indoles mere naturalis. „Testimonio sanae conscientiae uti apostolus dicit eos, qui descriptam continent in cordibus legem". Sciendum tamen est „rationalem animae virtutem cor solere nominari". Et porro si „nemo scit hominum, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est", [8]) certe hic est

---

[1]) H. in Jes Nav. IX. 2.

[2]) Ib. IX. 4.

[3]) In Ps. XXXVII. h. I. 3.

[4]) In Ps. XXXVII. h. II. 6.

[5]) Quare etiam nobis est propinquior salutis via quam iis qui intelligere nolunt se peccasse nec flagella conscientiae patiuntur, . . . „ex recordatione delicti perurgentis conscientiae stimulis terebamur in corde." H. in Ps. XXXVIII. I. 7.

[6]) In ep. ad Rom. II. 9.

[7]) In Ezech. h. I. 16.

[8]) Rom. VIII. 16.

„conscientiae spiritus, spiritus, de quo dicit ‚ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro'". [1]) „Hic autem, ut videtur, spiritus hominis, qui in ipso est, animae auxiliatur; hoc vero sic intellectum non est tutum, sed hic spiritus nihil aliud esse dicitur quam princeps animae facultas." [2]) Ita cum sentiat Adamantius, mentem et conscientiam idem esse dicere potest. Damnati enim in gehenna, „cum mens ipsa vel conscientia per divinam virtutem omnia in memoriam recipiens", eos commissorum peccatorum accusat, poenas patiuntur maximas; tunc et „ipsa conscientia propriis stimulis agitur atque compungitur et sui ipsa efficitur accusatrix et testis". [3])

Cum ergo nobis insit spiritus conscientiae, prima et suprema moralitatis principia cognoscimus; nam „nisi nobis inesset natura id, quod iustum est, iudicandi, nunquam Salvator diceret: ‚quare autem et a vobismetipsis non, quod iustum est, iudicatis'." ? [4]) Conscientia est „ratio intrinsecus inserta", quae „boni malique discretionem nobis ingerit". [5]) Nimirum, quia omnes facultates Origenes nobis provenire dicit ex participio Dei, conscientia autem nihil aliud est nisi spiritus hominis vel „rationalis animae virtus", certe vis et virtus conscientiae participio Logi attribuenda est; itaque dicere possumus hominibus posse imputari bona et mala, „ex quo iis divinus sermo vel ratio (Logos) ostendere coeperit in corde discretionem boni et mali". [6])

---

[1]) Loquitur Origenes hoc loco de duplici spiritu, divino sc. et humano, quare, quae sequuntur, procul dubio respiciunt spiritum divinum, supernaturalem. Hic enim spiritus, „qui cohaeret animabus iustorum, quae sibi in omnibus obedientes fuerint", atque „si inobediens ei anima et contumax fuerit, dividetur ab eo post excessum et separabitur", „ipse fortassis est spiritus, de quo scriptum est, quia, ‚incorruptibilis est spiritus in hominibus'. (Job XXXII. 8)." Com. in ep. ad Rom. II. 10.

[2]) H. in Ezech. I. 16. et catena in eandem: *τοῦτο δέ ἐστιν, ὡς φαίνεται τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου, τὸ ἐν αὐτῷ, τὸ βοηθοῦν τῇ ψυχῇ· καὶ τοῦτο νοούμενον οὐκ ἀσφαλές. ἕτερον δὲ τοῦτο τὸ πνεῦμα μὴ λεγέσθω εἶναι παρὰ τὸ ἡγεμονικόν.*

[3]) Pr. II. 10. 4.

[4]) In Luc. h. XXXV. M. 13. p. 1888. D.

[5]) Cf. Pr. II. 10. 4.

[6]) Pr. I. 3. 6; hanc puto esse Origenis de conscientia doctrinam Non assentior Redepenning, qui eam dicit niti in memoria vitae pristinae melioris, quam habebant spiritus in coelis, antequam peccarent. Conscientia Origenis nihil fere aliud est nisi ratio ipsa hominis, vel sicut omnem rationalitatem Origenes de Logo deducit, ita etiam conscientiae facultatem esse bonum naturale putat, quod ex participatione Logi habeamus. Non ergo recipio omnia,

Plura quam de conscientia scripsit Origenes de arbitrio libero, quippe quod multum imo nimium momenti in doctrina eius habeat, cum ex falsa arbitrii definitione sine dubio ad docenda multa, quae falsa sunt, perveniat. [1])

Creavit Deus „duas generales naturas, naturam visibilem i. e. corpoream, et naturam invisibilem, quae est incorporea“, quae „diversas sui recipiunt permutationes“. Illae quidem, quae rationabiles sunt, naturae „animo propositoque“ mutantur pro eo, quod arbitrii sui libertate donatae sunt, et „per hoc aliquando in bonis, aliquando in contrariis“ inveniuntur; naturae vero corporeae recipiunt „substantialem permutationem“. [2]) Diversae autem hae creaturarum permutationes et motiones esse possunt. Eorum enim omnium, quae moventur, „quaedam motorem habent extra *(τὸ κινοῦν ἔξωθεν ἔχει)*, ut quae anima carent et habitu solo continentur, ut etiam ea, quae natura vel anima moventur, cum non, qua talia sunt, moventur sed eodem modo ac illa, quae habitu solo continentur“, e. g. lapides et plantae animaliumque corpora, „cum ab alio transferuntur“. „Secundus est eorum ordo, quae moventur ab inexsistente natura aut anima *(τὰ ὑπὸ τῆς ἐνυπαρχούσης φύσεως ἢ ψυχῆς κινούμενα)*, quae etiam ex se *(ἐξ αὐτῶν)* moveri dicunt hi, qui magis proprie vocabulis

quae exponit Redep. II. 486: Non potest homo, „so lange er Mensch ist, die Rückerinnerung an das frühere bessere Sein ganz in sich vertilgen. Sie eben ist sein Gewissen, das in das Herz geschriebene Gesetz, welches freilich nicht alle Forderungen der göttlichen Gerechtigkeit, sondern nur, was vor Menschen recht ist, und was wir nicht andern thun sollen, weil wir nicht wollen, daß sie es uns thun, durch sich selber klar erkennt. Es ist dasselbe nichts anderes als der Geist, das eigentlich Geistige im Seelischen, dem Geiste Gottes verwandt, und seinem Wirken zugänglich.“

[1]) Origenis de libero arbitrio doctrina in multis rebus impugnatur a s. Methodio. *Περὶ αὐτεξουσίου* cf. Bonwetsch l. c. Contra Pseudoclementinae eandem proferunt sententiam, quam habet Origenes: h. II. 15; XI. 8; XV. 7. 8; cf. Redep. II. p. 309. adn. 2. Doctrina Origenis de libero arbitrio gravissimi est momenti ad recte etiam omnia intelligenda, quae scripsit. Dicit Schulz, die Christologie des Origenes, Jahrb. für prot. Theol. 1875: „Die Lehre des Origenes vom Menschen und von der Willensfreiheit sei der eigentliche Schlüssel zur Christologie.“ Item Mehlhorn, Brieger Zeitschrift für Kirchengeschichte. 1877, p. 234 nominat eam den „Gravitationspunkt seines ganzen, idealen Weltgebäudes“. Cf. etiam Bestmann, Ztschr. für kirchl. Wissensch. und kirchl. Leben. 1883. Klein, Die Freiheitslehre des Origenes in ihren ethisch-theologischen Voraussetzungen und Folgerungen im Zusammenhang mit der altgriechischen Ethik. Straßburg 1894.

[2]) Pr. III. 6. 7; nominatur ab Origene liberum arbitrium *τὸ αὐτεξούσιον, τὸ ἐφ᾽ ἡμῖν, ἡ τῶν λογικῶν κίνησις, ἡ προαίρεσις, τὸ ἡγεμονικὸν, λόγος.*

utuntur". „Tertius est motus animalium *(κίνησις ἡ ἐν τοῖς ζώοις)*, qui motus a se ipsis *(ἀφ' αὑτῶν, ἀπ' αὐτοῦ κίνησις)* dicitur. Eorum autem, qui ratione utuntur, *(ἡ τῶν λογικῶν κίνησις δι' αὐτῶν ἐστι κίνησις)* motum puto per se ipsa esse motum". [1]) Multi quidem sunt haeretici, „qui nihil esse volunt in nostra potestate". Ad quas talis error ineptias perveniat, facile est intelligendum. Atque [2]) quidem si non conceditur nos esse liberi arbitrii, „ineptissimum illud" admittatur necesse est, „primum nos animantes non esse", cum tamen nos animantes a se ipsis moveri dixerimus; „deinde neque rationales" nos esse, „sed quasi ab extero" tantum „motos neque nosmetipsos ullatenus moventes, ita ut ab illo (= a causa hac extrinseca) fieri dicenda

[1]) De orat. 6; idem fere, et fortasse etiam melius hoc ab Origene dicitur in Pr. III. 1, 2 et 3, ubi etiam distinctio inter varia harum rerum genera acrius exponitur: „omnium, quae moventur, *τὰ μέν τινα ἐν ἑαυτοῖς ἔχει τὴν τῆς κινήσεως αἰτίαν, ἕτερα δὲ ἔξωθεν μόνον κινεῖται.* extrinsecus tantummodo moventur omnia, quae sine vita sunt, *(τὰ φορητὰ)* ut lapides et lingna et quaecumque huiusmodi sunt, quae solo habitu materiae suae vel corporum constant *(πᾶσα ἡ ὑπὸ ἕξεως μόνης συνεχομένη ὕλη)*. Alia vero in se ipsis habent movendi causam, *(ἐν ἑαυτοῖς δὲ ἔχει τὴν αἰτίαν τοῦ κινεῖσθαι)* ut animalia vel arbores et omnia, quae per naturalem vitam vel per animam constant" *(ἀπαξαπλῶς ὅσα ὑπὸ φύσεως καὶ ψυχῆς συνέχεται.)* („etiam forte metallorum venae, ignis, fontes aquarum".) „Haec autem, quae in semetipsis causam suorum motuum habent, quaedam dicuntur ex se *(ἐξ ἑαυτῶν)*, quaedam a se *(ἀφ' ἑαυτῶν)* moveri, et ita dividunt, quod ex se moveantur, ea quae vivunt quidem non tamen animantia sunt; a se autem moveantur animantia, cum eis phantasia, i. e. voluntas quaedam vel incitamentum adfuerit, quae ea moveri ad aliquid vel incitari provocaverit *(φαντασίαι ὁρμὴν προκαλούμεναι)*; rationale vero animal, cum habeat in se et hos naturales motus, habet tamen amplius ceteris animalibus etiam rationis vim, qua iudicare et discernere de naturalibus motibus possit et alios quidem reprobare et abicere, alios vero probare atque suscipere, cuius rationis iudicio dirigi et gubernari hominis motus ad vitam probabilem possint *(λογικὸν ζῷον καὶ λόγον ἔχει πρὸς τῇ φανταστικῇ φύσει τὸν κρίνοντα τὰς φαντασίας, καὶ τινὰς μὲν ἀποδοκιμάζοντα, τινὰς δὲ παραδεχόμενον, ἵνα ἄγηται τὸ ζῷον κατ' αὐτάς)*. Unde consequens est, ut, quoniam natura rationis huius, quae est in homine, habet in se vim dignoscendi boni et mali, idque cum discernit, inest ei facultas etiam eligendi, quod probaverit, in eligendo quidem, quod bonum est, laudabilis, in sequendo vero, quod turpe vel malum est, iure culpabilis iudicetur . . . *ὅθεν ἐπεὶ ἐν τῇ φύσει τοῦ λόγου εἰσὶν ἀφορμαὶ τοῦ θεωρῆσαι τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρὸν, αἷς ἑπόμενοι θεωρήσαντες τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρόν, αἱρούμεθα μὲν τὸ καλὸν, ἐκκλίνομεν δὲ τὸ αἰσχρόν· ἐπαινετοὶ μέν ἐσμεν ἐπιδόντες ἑαυτοὺς τῇ πράξει τοῦ καλοῦ, ψεκτοὶ δὲ κατὰ τὸ ἐναντίον. κ. τ. λ.* Pr. III. 2. 3.

[2]) Hae refutationes meliore ordine proferri possunt, sed tamen, quo ipse autor profert, eodem ordine nos eas exponimus.

sint, quae (nos) facere credimur". Hoc autem plane falsum esse inter omnes constat, quare „fieri non potest, ut recte quisquam ita de rebus humanis sentiat, quasi nihil maneat in nostra potestate". [1]) At certe experientia et conscientia nostra satis cognoscere licet nos arbitrii quadam facultate donatos esse. Quomodo enim tu, qui conaris negare hanc libertatem arbitrii, voluntatem eius, cui aliquid persuadere vis, ad assensum cogere poteris? Nonne omnino is, quem mones, audiat et attendat ad ea, quae dicantur, necesse est, ut in eo aliquid efficias? [2]) Imo tolle nostrum arbitrium et vide, an non omnis etiam tollatur laus et vituperatio rerumque vel approbatione dignarum vel reprehensione discrimen. [3]) „Quis non increpat famulum, cum peccantis servi speciem animo perceperit? Quis filium non accuset debita parentibus obsequia non reddentem"? Quis tunc hominem adulterium committentem vituperabit? [4]) Scriptura etiam divina plurimis locis de laude vel poena agit, quam actiones hominum mereantur; atque ad quid prodessent leges, nisi ad eas servandas haberemus arbitrii libertatem? [5])

His atque aliis argumentis iterum ac saepius insistit adversariis Adamantius. Erant gnostici, [6]) qui putabant alios homines natura *(φύσει)* esse bonos, alios malos. Contra hos dicit Origenes in sacra scriptura homines bonos laudari, malos vituperari, quod certe fieri non debeat, si alteri essent *φύσει* boni et hanc ob rem necessario sine propriis meritis facerent bonum, alteri autem natura mali essent et hanc ob causam infallibili certitudine agerent mala. [7]) Alii putabant gnostici non opus esse laboribus et operibus nostris ad capiendam salutem. Sed etiam horum opinio vera esse non potest, nam „nostri operis est recte vel minus recte vivere et non ex his, quae extrinsecus incidunt vel, ut

[1]) De orat. 6.

[2]) Cels VI. 57.

[3]) In Gen. tom III. 1.

[4]) De orat. 6: *βιάζεται γὰρ ἡ ἀλήθεια καὶ ἀναγκάζει, κἂν μυριάκις τις εὑρεσιλογῇ ὁρμᾶν καὶ ἐπαινεῖν καὶ ψέγειν. ὡς τηρουμένου τοῦ ἐφ' ἡμῖν καὶ τούτου ἐπαινετοῦ ἢ ψεκτοῦ γινομένου παρ' ἡμᾶς.*

[5]) Pr, III. 1. 6; item Athenagoras Legat. c. 24. crimini dat adversariis, quod negantes arbitrii libertatem homines sceleratos audeant punire.

[6]) Acerrime etiam Tertullianus et Irenaeus contra gnosticos defendunt arbitrium liberum. Cf. Esser, l. c. p. 187, 188; Klebba, l. c.

[7]) In Matth. tom. X. 11; in ep. ad Rom. I. 18; VI. 3. 4; VII. 16.

quidam putant, fatis urgentibus cogimur". [1]) Multis enim locis docet scriptura esse in nostra potestate Deum „audire et incedere in viis Dei"; Deus enim, „cum dat mandata, quid aliud indicat, nisi quod in nostra potestate est observare posse, quae mandantur" *(ὡς ἐφ' ἡμῖν ὄντος τοῦ φυλάξαι τὰ προστεταγμένα)*. Et s. Paulus „velut potestatem arbitrii habentibus nobis loquitur, tamquam in nobis ipsis vel salutis vel perditionis habentibus causas". [2]) Erat „tertium genus eorum, qui quosdam animales, alios spirituales vocant" *(ψυχικοί, πνευματικοί)*. Hi erant Valentinus et eius discipuli, quibus placebat docere: „salutem alios consequi, alios in aeternum perire vi et constitutione ipsius naturae" *(φύσει ἐκ κατασκευῆς σωζομένας, ἢ ἐκ κατασκευῆς ἀπολλυμένας)*. [3]) Celsus philosophus, qui tot in rebus ab Origene iure vituperatur, acriter etiam in iis, quae contra liberum arbitrium affert, ab eo refutatur. Credebat enim Celsus, Stoicorum amplexus doctrinam, „naturarum mortalium conversionem sui similem esse ab initio ad finem, et ex constituto conversionum ordine necessarium esse, ut praeterita praesentia et futura semper eadem sint". „Quod si ita habet, actum est de libero nostro arbitrio". Haec opinio sane ad absurdissimas opiniones reducit. „Nam si ex constituto conversionum ordine necesse est eadem fuisse, esse, fore in rebus mortalibus, evidens est necesse fore, ut semper Socrates philosophiae det operam et accusetur, quod alienos deos inducat corrumpatque iuventutem, ut Anytus et Melitus contra eum semper testimonium ferant, et areopagitae iudices ad sorbendam cicutam condemnent". Haec omnia „si concedantur, nescio, quo modo consistere possit liberum nostrum arbitrium et laudari aut vituperari merito possimus". [4]) Errores non minus periculosi in

---

[1]) *ὅτι δὲ ἔργον ἡμέτερον τὸ βιῶσαι καλῶς ἐστιν, καὶ αἰτεῖ ἡμᾶς τοῦτο ὁ Θεὸς, ὡς οὐκ αὐτοῦ ὄν, οὐδὲ ἐξ ἑτέρου τινος παραγινόμενον, ἤ, ὡς οἴονταί τινες, ἀπὸ εἱμαρμένης, ἀλλ' ἢ ὡς ἡμέτερον ἔργον, μαρτυρήσει ὁ προφήτης κ. τ. λ.* Pr. III. 1. 6.

[2]) *ὁ Παῦλος ὡς αὐτεξουσίοις ἡμῖν διαλέγεται, καὶ ἑαυτοῖς αἰτίοις τυγχάνουσιν ἀπωλείας ἢ σωτηρίας.* Pr. III. 1. 6.

[3]) Cels. V. 61.

[4]) *‚ὁμοία ἀπ' ἀρχῆς εἰς τέλος ἐστιν ἡ τῶν θνητῶν περίοδος καὶ κατὰ τὰς τεταγμένας ἀνακυκλήσεις ἀνάγκη τὰ αὐτὰ ἀεὶ γεγονέναι καὶ εἶναι καὶ ἔσεσθαι.‘ ὅπερ ἐὰν ᾖ ἀληθὲς, τὸ ἐφ' ἡμῖν ἀνῄρηται.* Cels. IV. 67. Cf. ib. „rursus si, ut Celsus ponit, sui semper et ab initio ad finem similis sit naturarum mortalium conversio, ergo necesse est, ut ex constitutis conversionibus Moyses cum populo Judaico semper ex Aegypto exeat, ut Jesus iterum huc veniat, eadem

veniebantur apud ethnicos fatalistas. Nam „plurimae gentes" dicunt, „quod, quae in terris eveniunt omnia, quaeque singulo ad homines, imo, quae ad brutas quoque fortassis animantes pertinent, ea stellarum, quas errantes vocant, cum iis, quae ad zodiacum adhaerescunt sideribus complexione quadam et comparatione fieri existimentur". Quibus erroribus etiam „permulti" christianorum obstricti sunt. „Qua quidem ex opinione consequens illud est, ut funditus liberum nostrum tollatur arbitrium, simulque proinde laus omnis ac vituperatio rerumque vel approbatione dignarum vel reprehensione discrimen. Haec porro sublata si semel erunt, evanescat pariter necesse est, quidquid de iudicii divini aequitate iactatur, concidant vel intentatae sceleratis poenarum ac suppliciorum minae, vel promissa melioris sanctiorisque vitae professoribus gloriae ac felicitatis praemia: nihil enim ipsorum deinceps cum ratione fiet." Erit porro „non inanis solum ac supervacua fides nostra", „sed ne ipse quidem adventus Christi totaque illa seu legis seu prophetarum oeconomia et apostolorum in excitandis constabiliendisque per Christum Dei ecclesiis suscepta contentio vel hilum" profecit. [1])

Haec omnia fusius exposuimus, ut videatur, quanti momenti putarit Origenes esse arbitrium liberum non in singulis tantum hominibus, sed etiam in regno populorum et in gubernatione totius universi. Libertatem primam et essentialem hominis putabat esse partem. [2]) quare, ubi de falsis adversariorum opinionibus loquitur, non longum esse putat omnibus, quas habet, causis et rationibus eorum opiniones refutare et hominem omnino sui iuris et liberi arbitrii esse demonstrare. Potuit quidem Deus ita instruere naturam hominis, ut, quidquid facimus, necessario faceremus, „ut necessario temperantes essemus, sed noluit; ideo non ex tristitia aut ex necessitate agenda nobis imperat, quae facimus, ut voluntarium sit, quod fit". [3])

Hoc nunc liberum arbitrium, quod contra tot negantes haereticos Origenem homini vindicantem vidimus, ad quae se exten-

facturus, quae iam non semel sed infinite post singulas quasque conversiones fecit; ut iidem Christi(ani) sint in singulis conversionibus: ut Celsus eundem librum, quem iam scripsit infinitis vicibus, iterum scribat."

[1]) Ex tom. III Com. in Gen. ad caput I. vers. 14. M. 12. p. 50 sq.

[2]) Ita etiam Clem. Alexandrinus. Cf. Strom. VI. 16. p. 808.

[3]) In Jerem. h. XIX. 2; cf. Denis. l. c. p. 249, 253.

dat, nostrum est ostendere. Multi, qui de Origene scripserunt, in hoc certe auctorem non bene interpretati sunt, quod putabant eum agere de libertate semper contrarietatis aliam non cognoscentem. Hoc quidem certissime concedi debet multos Adamantii errores provenire ex falsa eius liberi arbitrii definitione. Novit tamen sine dubio etiam libertatem, quae non est libertas contrarietatis, sed hoc est principium omnis eius doctrinae eam esse veram atque propriam libertatem, quae det posse eligere inter bona et mala, inter ergo obiecta plane contraria, eamque libertatem tam essentialiter pertinere ad naturam rationalem, ut numquam amitti possit.[1] Cognovit ergo Origenes etiam specificationis libertatem, qua in exercendo bono possumus inter varia eiusdem genera, quod nobis placet, eligere; item contradictionis libertatem, qua ex eiusdem generis rebus possumus aliquid velle vel nolle, agere vel non agere; porro ipsam eam libertatem nobis Alexandrinus commendavit, quam gratiae vocamus, qua scilicet magis magisque peccatum abnegantes soli adhaereamus Deo et pie et sancte in statu gratiae ei serviamus.[2]

Dedit homini Deus „rationis vim, qua iudicare et discernere de motibus naturalibus possit, et alia quidem reprobare et abicere alia vero probare atque suscipere, quoniam natura rationis huius, quae est in homine, habet in se vim dignoscendi boni vel mali, idque cum discernit, inest ei facultas etiam eligendi, quod

---

[1]) Origenis de libero arbitrio doctrina in multis sequitur ea, quae docuerat Clem. Al. Cf. Redep. I. p. 134. adnot. 4: „Die Freiheit faßt Clemens, wie die griechischen Kirchenlehrer überhaupt, im Geiste des frühern thatkräftigen hellenischen Altertums und im Gegensatze zu orientalischem Fatalismus und Dualismus ausschließlich von derjenigen Seite auf, von welcher sie freies Wahlvermögen ist. Er nennt sie *αἵρεσις καὶ φυγὴ αὐτοκρατορική* (Strom. II. 434), oder nach dem gewöhnlichen platonischen Ausdrucke *τὸ αὐτεξούσιον, τὸ ἐφ' ἡμῖν* (ib. 731; II. 465), und so erklärt er Sünde und Gerechtigkeit für Ergebnisse freier, d. i. durch keine zwingende Notwendigkeit erfolgenden Wahl (Strom. II. 1 c. Coh. 90) und behauptet eine ewige Besserungsfähigkeit (?) der Kreaturen.“ Cf. contra haec Huber, l. c. p. 147—149; infra de igne aeterno.

[2]) Cf. Denis. l. c. p. 249, 253. — Singulae libertatis species breviter definitae inveniuntur in s. Thom. de veritate, q. 22. a. 6: „quum voluntas dicatur libera, in quantum necessitatem non habet, libertas voluntatis in tribus considerabitur, sc. quantum ad actum, in quantum potest velle et non velle; et quantum ad obiectum, in quantum potest velle hoc, vel illud, et eius oppositum; et quantum ad ordinem finis, in quantum potest velle bonum vel malum.“

probaverit; in eligendo quidem, quod bonum est, laudabilis, in sequendo vero, quod turpe vel malum est, iure culpabilis indicatur". [1]) Hoc quidem nostrum arbitrium a multis rebus ad eligendum provocatur. Possunt enim multa extrinsecus incidere et occurrere per sensus, quae nos concitent et provocent ad bonos vel contrarios motus: „quae utique, quia extrinsecus incidunt, non est in nostra positum potestate, ne incidant vel occurrant". Ratio autem nostra, per quam regitur et ordinatur arbitrium liberum, nobis dicere debet, quae ex his incitamentis sequi debeamus, quae non. [2]) „Sui namque arbitrii est anima, et in quam voluerit partem, est ei liberum declinare". [3]) Quae animae facultas nunquam perditur. „Liberi namque arbitrii semper est anima etiam cum in corpore hoc, etiam cum extra corpus est, et libertas arbitrii vel ad bona semper vel ad mala movetur, nec umquam rationabilis sensus, i. e. mens vel anima, sine motu aliquo vel bono vel malo esse potest". [3]) Contra haec, quae semper nos libero fore arbitrio praeditos aperte declarant, nonnulla etiam in Origene nobis occurrunt, quae non minus aperte declarare videntur fore, ut liberi arbitrii facultas non iam nos post mortuorum resurrectionem ad peccatum provocet. Solvenda ergo hic nobis est eadem difficultas, quae supra, ubi agitur de vita aeterna, et infra, ubi de poenis aeternis agetur. Quod quidem ad Origenis doctrinam de libero arbitrio multis locis sibi repugnantem attinet, tria fortasse sunt, quibus hae difficultates solvi possint. Aut a) orthodoxa huius rei doctrina est doctrina exoterica, quod tamen non credendum est, quia invenitur praecipue etiam in commentario scripto in epistolam ad Romanos; aut b) Rufinus [4]) textum interpolavit, quod verisimile non est, quia ipsius

---

[1]) Pr. III. 1. 3.

[2]) Pr. III. 1. 3—5; cf. ib. l. c.: *τὸ μὲν οὖν ὑποπεσεῖν τόδε τι τῶν ἔξωθεν φαντασίαν ἡμῖν κινοῦν τοιάνδε ἢ τοιάνδε ὁμολογουμένως οὐκ ἔστι τῶν ἐφ' ἡμῖν. τὸ δε κρῖναι οὑτωσὶ χρήσασθαι τῷ γενομένῳ, ἢ ἑτέρως, οὐκ ἄλλου τινὸς ἔργον, ἢ τοῦ ἐν ἡμῖν λόγου ἐστὶν, ἤτοι παρὰ τὰς ἀφορμὰς ἐνεργοῦντος ἡμᾶς πρὸς τὰς ἐπὶ τὸ καλὸν προσκαλουμένας καὶ τὸ καθῆκον ὁρμᾶς, ἢ ἐπὶ τὸ ἐναντίον ἐκτρέποντος.* Idem docet Methodius, cf. Bonwetsch l c. p. 194.

[3]) Pr. III. 3. 5. Ex his verbis stricte quidem non sequitur, ut semper habeamus libertatem eligendi inter bona et mala; Origenem tamen his verbis defendere veram contradictionis libertatem, ex iis patebit, quae infra dicentur, cf. praesertim p. 100 sq., supra p. 10, 11 et praecipue, quae infra initio appendicis (de praeexist. an.) in adnot. citantur ex Pr. I. 6. 2. Cf. etiam Hagemann, Die römische Kirche, Freiburg 1864. p. 34; Thomasius l. c. p. 258.

[4]) Rufinus in praefatione scripta in explan. Origenis super ep. ad Rom.

Rufini utimur versione librorum de principiis scriptorum, in qua ubique heterodoxa Adamantii doctrina de libero arbitrio exponitur; aut c) ea, quae orthodoxa ab Adamantio dicuntur, cum sententia eius erronea coniungi possunt.

Supra diximus docere Adamantium Christum semel passum esse neque ultra passurum:[1]) obiciunt quidam, „numquid potest saeculum esse aliquod in futuro, ubi neque boni aliquid neque mali agatur, sed stupeant res et maneant profunda silentia". Hoc autem „absurdum videri asserunt"; arbitrantur enim „easdem (quae nunc) etiam in futuris saeculis dispensationes a Christo repetendas esse", quia rationabiles creaturae semper peccare possint; quare etiam his malis sanandis remedium fieri debere. Ad quae respondet Adamantius: „Manere quidem naturae rationabili semper liberum arbitrium non negamus, sed tantam esse vim crucis Christi et mortis huius, quam in saeculorum fine suscepit, asserimus, quae ad sanitatem et remedium non solum praesentis et futuri, sed etiam praeteritorum saeculorum, et non solum humano huic nostro ordini, sed etiam coelestibus virtutibus ordinibusque sufficiat". „Quid autem sit, quod in futuris saeculis teneat arbitrii libertatem, ne rursum corruat in peccatum, brevi sermone apostolus docet, dicens: ‚caritas nunquam excidit'. Idcirco enim et fide et spe maior caritas dicitur, quia sola erit, per quam delinqui ultra non poterit". „Et ideo creaturam continebit

dicit hos libros iam interpolatos esse; et quia Heraclius, cuius iussu Rufinus hos libros in linguam Latinam vertebat, optabat, ut abbreviaret et „ad media, si fieri posset, spatia" hi libri coarctarentur, certe multa Rufinus abbreviavit, sed cum nihil de correctione facta dicat, haud multa sunt certe, et forte nihil est, quod Rufinus correxerit; aliis enim in praefationibus ea, quae correxit, indicat. Cf. praef. in lib. π. α. — Rectum ergo esse potest, quod dicit Thomasius p. 90: „Die Homilien sind am meisten verdächtig"; non tamen verum est, quod dicit: „ebenso gefährlich der von Rufin ganz umgearbeitete Römerbrief". Ceterum cf. etiam, quae dicit Fessler-Jungman, patrologia, Oeniponte 1890. I. p. 289: „homiliae magis ad populi captum accommodatae, et quoad partem saltem ex tempore habitae, nec fideli semper versione translatae, non (adeo sc. quam selecta) magnam sibi vindicant auctoritatem; maxime vero eius ingenium et eruditionem comprobant commentarii; in his tamen errores Origeni peculiares, dum calamus liberius exspatiatur, frequenter emergunt, itaque, quamvis spectabili antiquitate et eruditione eximia commendetur Origenes, tamen caute admodum legendus est, ne simul cum veritate speciosus error, tanti viri nomine commendatus, imbibatur". Cf. ib. 291.

[1]) Cf. supra, p. 11; adiungo: „Non enim dabit ultra semetipsum in dominationem tyranni neque iterum exinaniet se, ut formam servi accipiat et fiat obediens usque ad mortem." Com. in ep. ad Rom. I. 10. M. 14. p. 1052.

a lapsu. Tunc erit Deus omnia in omnibus". Si apostoli Pauli caritas tanta erat, ut nihil se posse separare a caritate Christi profiteri posset, quanta in beatis non putanda est caritatis vis? Si autem mala haec omnia, quae enumerat apostolus, nos a Deo separare non poterunt, „cum in illud quis culmen perfectionis ascenderit, multo magis libertas arbitrii nos ab eius caritate separare non poterit. Quamvis enim sit etiam ista virtus et maneat in natura, tamen tanta caritatis vis est, ut ad se omnia trahat omnesque sibi societ vindicetque virtutes". [1])

Quae hic audivimus ab Origene, hoc forte modo cum aliis, quae de libero arbitrio scripsit, ad consonantiam redigi possunt. Vult quidem Adamantius demonstrare Christum semel passum esse, et hanc mortem sufficere omnibus creaturis et omnibus saeculis; hac enim morte obiectivam factam esse redemptionem, uti etiam ex his concludi debet, quae in fine huius libri (quinti in ep. ad Rom.) dicit Origenes: „haec prout potuimus ad ea, quae hoc loco commota sunt, diximus, ut manifestius claresceret, quomodo semel Christus mortuus est peccato, et ultra iam non moritur et quia, quod vivit, vivit Deo". Etiam exemplum sancti Pauli, quo utitur scriptor, probat nostram sententiam. Quae dicuntur a Paulo, certe non dicuntur certitudine metaphysica, sed morali tantum. Non ergo dicendum est hominem tantae caritatis nullatenus posse averti a Christo, sed plerumque vel probabiliter fieri, ut talis homo maneat in caritate. Ita etiam, si dicit Alexandrinus nos a Dei caritate in futuris saeculis separari non posse, his verbis nihil aliud dicitur, nisi posse nos non separari. Tantam enim in omnibus esse caritatis vim, eamque tenere arbitrii libertatem, ut obiective possimus iam non peccare et certe per multum temporis vel saltem aliquantum non peccemus, etsi postea certissime nova a beatis committantur peccata. Ita quiescit hoc loco Origenes in describendo statu, qui termini vocatur (apocatastasis), neque quidquam hoc loco dicit de iis, quae futura sunt post hunc statum vel post apocatastasin.

Status huic similis his in terris iam esse potest; possumus enim arbitrii facultatem in melius reducere eamque attingere

---

[1]) Com. in ep. ad Rom. V. 10; cf. Bigg, l. c. lect. XIII. p. 300. cum adn. 2.

libertatem, quam gratiae vocant theologi.[1]) Etiam Origeni notam fuisse hanc perfectionem certum est. Cum enim omnes peccatores existimet, tamen distinguit inter hos, qui peccant; sunt enim, qui graviter et saepe, imo, quamdiu vivunt, peccent; sunt etiam, qui sanctitatem petentes in parvis tantum offendant. Ita in homiliis saepe de peccatis suis loquitur, conlatis peccatis eorum, qui malitia multa committunt et peccata gravia. Si autem fieri non posset, ut homines peccata gravia vitarent, quomodo sancti esse possent? Nimirum non statim, ut quis sanctus esse coeperit, peccare iam non potest et continuo sine peccato putandus est.[2]) Sicut enim, qui se philosophiae studiis tradere coepit, iam philosophus vocatur, sic etiam, qui se vovere divino servitio coepit, sanctus iam vocatur, attamen etiam nunc peccare potest et in multis delinquere, „donec usu et disciplina ac diligentia abscindatur ab eo consuetudo peccandi".[3]) Hoc ergo modo fieri potest, ut plane abiciamus vitia, non iam moveamur ad peccata, ut mortui simus peccatis.[4]) Talem ad

---

[1]) Haec gratiae libertas a multis patribus *ἐλευθερία* vel *αὐταρκεία* nominatur; cf. Theoph. ad Antol. II. 27: *ἐλεύθερον καὶ αὐτεξούσιον ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἄνθρωπον.* — De Tertulliano cf. Esser l. c. p. 191: „Es ist nicht zu viel gesagt, wenn man den Begriff der sittlichen Freiheit, wie ihn später Anselmus gegeben hat: potestas servandi, prosequendi et exsequendi rectitudinem acceptam bei Tertullian schon klar ausgesprochen findet;" de Clem. Al, cf. Redep. I. p. 134. adn. 4: „Die wahre oder absolute Freiheit, die im Guten nennt er (Clem.) nach Joh. 8 36 *ἐλευθερία.*" Huius libertatis vel *ἐλευθερίας* nonnulli gentium philosophorum, praecipue Stoicorum aliquid noverunt; cf. Marc. Aurel. VIII. 48: *ἀκρόπολίς ἐστιν ἡ ἐλευθέρα παθῶν διάνοια.* Epictet. fragm. 8: *ἐλευθερία καὶ δουλία, τὸ μὲν ἀρετῆς ὄνομα, τὸ δὲ κακίας.* Item Seneca ep. 92, 23; ep. 65, 22. „Schade, daß dem ganzen Heidentum der eigentliche innere Wert, der hohe Adel dieser Freiheit nicht bewußt geworden ist; sie betrachteten sie eigentlich mehr als einen Zustand, wo man durch tugendhaft vernünftiges Leben sich vor vielem Unangenehmen bewahrt hält." „Die Freiheit im stoischen System kann eigentlich nur Negation menschlicher Regungen sein (Seneca ep. 120. 13), aber selbst dies Schattengebilde im Vergleich zum Ideal des Christentums wurde von niemandem erreicht. Cf. Cic. Laelius §. 18: „sed eam sapientiam interpretantur (Stoici), quam adhuc mortalis nemo est consecutus"; item de off. III. 16. Klebba l. c. p. 155. — De hec gratiae libertate cf. etiam Gutberlet. l. c. p. 21-23; Rappenhöner, Allgemeine Moraltheologie. Münster 1891. I. Teil. p. 26.

[2]) H. in Num. X. 1.

[3]) Ib. l. c.

[4]) „Si renuntiasti saeculo, si abiecisti vitia, si iam non moveris ad peccatum sed mortuus es peccato, melior es quam ille, qui vivit peccato, et erit

perfectionem pervenerant apostoli; „vere enim vitium non amplius iis dominabatur, sed *λόγος* (ratio) et, ut generatim dicam, Dominus, hoc est universa et animata virtus". [1]) Simili modo etiam omnis homo a cupiditatibus liber nullam pravam cogitationem experitur et paulo post in regno Dei habitabit. [2]) Et sic in veritate et virtute stare potest „omnis quidem ac solus ille, qui recta firmiter habet dogmata, et propter firmitatem dogmatum perpetuo constantis est sententiae, nullo infortunio, nullo corporali praetextu concussus"; „qui vero etiamnum appetitu vehementiore rerum venerearum vel qualicumque culpa concutitur, ita ut aliquantulum dimoveatur ab honesto, is merito non stetisse in veritate existimetur". [3]) Ecce quam dilucide ex oppositione harum propositionum libertas gratiae cognoscitur! Recte ergo, cum talia senserit Origenes, ii, qui ad tantum virtutis profectum arbitrii libertate utuntur, vere perfecti sunt et Domino coniuncti, unus spiritus cum ipso effecti, neque ipsi in lege sunt, sed magis ipsi sibi sunt lex, uti etiam apostolus iustis non iam esse legem docet. [4]) Haec etiam congruunt cum his, quae alio loco de facultate arbitrii nostri Origenes dicit. Dicit enim „inesse unicuique animae vim possibilitatis et arbitrii libertatem, qua possit agere omne, quod bonum est. Sed quia hoc naturae bonum praevaricationis occasione decerptum vel ad ignominiam vel lasciviam fuerat inflexum, ubi per gratiam reparatur et per doctrinam Verbi restituitur, odorem dabit sine dubio illum, quem primus conditor Deus indiderat, sed peccati culpa subtraxerat". [5]) Recte sine dubio hoc loco dicit Alexandrinus libertatem voluntatis ab initio ad bonum ordinatam fuisse, per peccatum autem (sive spirituum, sive protoparentum) etiam mali occasiones assumpsisse. [6])

---

in te mors ista laudabilis," h. in Num. VII. 3; „cum ita quis proficiat, ut decidere non possit neque retrorsum aspicere". Com. in ep. ad Rom. praef.

[1]) *κύριος ἡ πᾶσα ἔμψυχος καὶ ζῶσα ἀρετή.* Com. in Joan. tom. XXXII. 7.

[2]) *ὁ ἀπαθὴς ἡσυχάζει ἀφόβως ἀπὸ παντὸς κακοῦ λογισμοῦ.* Exp. in Prov. I. vers. 12.

[3]) Com. in Joan. tom. XX. 21.

[4]) Com. in ep. ad Rom. III. 6; cf. h. in Num. XIV. 7.

[5]) In cant. cant. IV. vers. 10—13.

[6]) Cf. Pr. II. 9. 3; Redep. II. p. 318: „Man sieht Origenes ist auf dem Wege über der Wahlfreiheit eine höhere wahre Freiheit, die materiale, oder die freie Hingebung an das Gute aufzufinden, denn man kann nur annehmen, daß, wenn er Gott, wie dem Sohne und dem Geiste doch auch Freiheit beilegt, er eben diese wahre Freiheit ihnen zuschreibe . . . Aber er betont immer nur die formale Seite, immer erklärt er sie für die unbedingte Möglichkeit.

per gratiam autem et divinam institutionem ad naturalem quandam perfectionem adduci posse, ita, ut, — etiamsi semper maneat nobis vera contradictionis libertas, — possimus agere omne, quod bonum est, minime tamen a libero arbitrio necessario semper ad peccata trahamur. Ut ergo brevi repetamus, hoc patet: esse homines liberi arbitrii, et hanc ob rem multos semper in peccata rui, posse tamen hominem salvo libero arbitrio a peccatis gravibus abstinere. Ita si intelligimus auctorem, nihil est in eius doctrina, quod sibi contradicat. Ecce, quae patet conclusio: si iam his in terris talem arbitrii reparationem et perfectionem Origenes docuit, quam necessario sibi constabit docens per caritatem in coelis ligari arbitrii libertatem, ita ut, quamvis plurimi beatorum paulo post novis peccatis commissis beatitudinem amissuri sint, eorum tamen etiam sint, qui iam non peccent, neque decidant, licet (forte) ad breve tempus tantum, et fortasse pauci; hoc enim modo Origenis doctrinam interpretari debemus, quia aliis locis de libero arbitrio agens propter hoc dicit homines semper peccare. Ita ergo post *ἀποκατάστασιν τῶν πάντων* beati erunt, qui multum temporis, fortasse multa saecula beatitudine fruentur, his saeculis non lapsuri in peccata; omnes tamen aliquando rursum, serius vel ocius, peccabunt, et ita semper alii erunt mundi, alii homines, alii beati cet.

Liberum arbitrium magnum quidem Dei donum est, sed per se solum non sufficit; semper enim adiutorio et gratia indigemus divina, ut recte hac libertate utamur et ad salutem perveniamus. Libertas enim hominis et operatio divina non sibi

---

von dem Höheren zum Niedern hinabzusteigen, oder „wie er es auffaßt, aus dem vollen Besitz des Guten zu einem teilweisen Aufgeben davon, vom wahren, einen, zum nichtigen, nichtseienden oder Bösen sich zu wenden, und wieder hiervon zu dem Bessern hinaufzusteigen . . . Sein Begriff der Freiheit, die er mit der Vernunft wesentlich verbunden denkt [de hoc cf. etiam Klein l. c. p. 16, 26.], fast ganz in der stoischen Weise, gründet sich auf der Beobachtung der bedingten menschlichen Freiheit, wo sie erscheint, wo Gutes und Böses schon neben einander in dem, welcher handelt, anzutreffen ist, anstatt zu bemerken, daß in diesem Zustande bereits Unfreiheit ist, und so die wahre Freiheit noch eine ganz andere Seite haben müsse; neben dem Momente des Wählens steigert er nur das Wählen können und findet so das Wesen der Freiheit in dem völlig ungehemmten Wahlvermögen," cf. ib. p. 321. Parvi momenti est quod scripsit Mehlhorn, die Lehre von der menschlichen Freiheit nach Origenes *περὶ ἀρχῶν*. Zeitschr. für Kirchengesch. v. Brieger. 1877.

contraria sunt; neque igitur „quae in nostro arbitrio sunt, putemus sine adiutorio Dei effici posse, neque ea, quae in manu Dei sunt, putemus absque nostris actibus et studiis et proposito consummari“; scilicet, „quod neque nos velle aliquid vel efficere ita in nostro habeamus arbitrio, ut non scire debeamus hoc ipsum, quod possumus velle vel efficere, a Deo nobis datum esse“. [1]) Non ergo „sufficit ad perficiendam salutem sola voluntas humana, nec idoneus est mortalis cursus ad consequenda coelestia, nisi divino vel iuvetur vel muniatur auxilio“. [2]) Sicut ergo nauta labore quidem suo tenet et dirigit navem, haec tamen maxime a ventis et tempestatibus pendet, ita et „in nostrae vitae cursu a nobis quidem dependendus est labor et studium atque industria adhibenda, laboris nostri vero fructus a Deo speranda est salus“. [3]) Si autem in omnibus tantum a Deo pendemus, et gratia et operatio divina operatur semper nobiscum, quomodo, recte quidem interrogabis, fieri potest, ut omnino peccare possimus? Deusne cooperatur ad peccatum? Habemus, inquit Origenes, a Deo, „quod homines sumus, quod spiramus, quod movemur, cet. ita et quod volumus, ex Deo habemus; ut sicut dicamus, quod movemur, ex Deo est, vel quod singula quaeque membra officio suo deserviunt et moventur, ex Deo est. Ex eo utique non illud intelligitur, quia quod movetur manus v. c. ad verberandum iniuste vel ad furandum, ex Deo est: sed hoc ipsum, quod movetur, ex Deo est; nostrum vero est motus istos, quibus moveri ex Deo habemus, vel ad bona vel ad mala convertere. Ita ergo est, quod dicit apostolus, quia virtutem quidem voluntatis accipimus, nos autem abutimur voluntate vel in bonis vel in malis desideriis. Similiter quoque de effectibus sentiendum est“. [4])

---

[1]) Pr. III. 1. 22.

[2]) Pr. III, 1. 18.

[3]) Ib. l. c.: *καὶ ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γοῦν σωτηρίας πολλαπλάσιόν ἐστιν εἰς ὑπερβολὴν τὸ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, τοῦ ἀπὸ τοῦ ἐφ᾽ ἡμῖν.*

[4]) *λεκτέον ὅτι ἡ τοῦ ἀποστόλου λέξις οὐ φησὶ τὸ θέλειν τὰ κακὰ ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι, ἢ τὸ θέλειν τὰ ἀγαθὰ ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι. ὁμοίως δὲ τὸ ἐνεργεῖν τὰ κρείττονα καὶ τὰ χείρονα· ἀλλὰ τὸ καθόλου θέλειν καὶ τὸ καθόλου τρέχειν. ὡς γὰρ ἀπὸ Θεοῦ ἔχομεν τὸ εἶναι ζῶα, καὶ τὸ εἶναι ἄνθρωποι, οὕτω καὶ τὸ καθόλου θέλειν, ὡς καὶ ἔλεγον, καὶ τὸ καθόλου κινεῖσθαι. ὥσπερ δὲ ἔχοντες τὸ ζῶα εἶναι, τὸ κινεῖσθαι, καὶ φέρ᾽ εἰπεῖν τάδε τὰ μέλη κινεῖν, χεῖρας ἢ πόδας, οὐκ ἂν εὐλόγως λέγομεν ἔχειν ἀπὸ Θεοῦ τὸ εἰδικὸν τόδε ἤτοι τὸ*

Hisce multae accusationes contra Adamantium factae redarguuntur. [1]) Doctissimo quoque viro maximam semper praebuit

---

κινεῖσθαι πρὸς τὸ τύπτειν, ἢ ἀναίρειν, ἢ ἀφαιρεῖσθαι τὰ ἀλλότρια. ἀλλὰ τὸ μὲν γενικὸν τὸ κινεῖσθαι ἐλάβομεν ἀπὸ Θεοῦ. ἡμεῖς δὲ χρώμεθα τῷ κινεῖσθαι ἐπὶ τὰ χείρονα, ἢ ἐπὶ τὰ βελτίονα· οὕτω τὸ μὲν ἐνεργεῖν, ᾗ ζῶά ἐσμεν, εἰλήφαμεν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ θέλειν ἐλάβομεν ἀπὸ τοῦ δημιούργου (= Θεοῦ), ἡμεῖς δὲ τῷ θέλειν ἐπὶ τὰ κάλλιστα ἢ ἐναντία χρώμεθα, ὁμοίως καὶ τῷ συνεργεῖν. Pr. III. 1. 19; cf. Thom. Aq. c. gent. III. 71.

[1]) Ex supra citatitis evanescunt, quae dicit Schwane (D. G. I². 368) Origenem potentiam, „virtutem" tantum, non autem actum ad Deum reducere. Recte docet Origenes omnes actus physice a Deo pendere, moralem tamen accipere caracterem ex directione nostri arbitrii. Quae citat alia Schwane, non contradicunt iis, quae supra exposuimus; dicit etiam Atzberger l. c. p. 387: „Es sei dahingestellt, ob Origenes eine sogenannte zuvorkommende, oder eine unmittelbar auf den Willen einwirkende aktuelle Gnade angenommen habe, oder nicht." Redep. II. p 373. adn. 3: „Hier (Princ. III. 2. 2) schreibt Orig. weiter die initia et velut quaedam semina der Handlung dem Wollen des Menschen zu, während er die Förderung von außen kommen läßt. Hingegen (ib. inferius) soll die commotio sola et incitamentum provocans nos vel ad bona vel ad mala, von außen, die Hingabe daran, oder das Widerstreben, aus dem eigenen Innern kommen. Man sieht, Orig. findet bald das eine, bald das andere durch die Beobachtung bestätigt, und vereinigt so beide Arten Synergismus." Huet. Origen. l. II. c. II. q. 7. n. 5. non multum abesse Origenem putat a Pelagianismo dicentem: animam motu divino non indigentem moveri ad bonum, et „impellenti nos ad malum libidini per se posse obsistere". Item Harnack (D. G. I³. p. 643) putat gratiam in doctrina Alexandrini non antecedere voluntati imo voluntatem semper praecedere gratiae In multis forte singulis dictis non satis accurate animadvertit Origenes difficultatem, quam sua de libero arbitrio doctrina afferat gratiae, quare heterodoxa esse singula nonnulla dicta videri possunt. Sed tamen etiam ex iis, quae citant Schwane (de orat. 24; ad Rom. VII. 16) et Harnack (in Matth. ser. 69; Rom. IV. 5; IX. 3) nihil ex Origene, quod revera heterodoxam sententiam habeat, afferri potest. Nihil de gratia inveni de orat. 24, et in ep. ad Rom. IX. 3. Contendit quidem Adamantius fidem esse „ex nobis". „Utputa fidem habenti, quae est ex nobis, dabitur gratia fidei, quae est per spiritum fidei, et abundabit; et quidquid habuerit quis ex **naturali** creatione, cum exercuerit illud, (al. eum) accipit **ad** id ipsum **et** ex gratia Dei, ut abundet et firmior sit in eo ipso, quod habet." Nihil certe his verbis dicit auctor, nisi posse hominem viribus mere naturalibus ad fidem pervenire, quae fides, cuiuscumque est modi et mensurae, tamen naturalis est; hominem tamen, si ad hoc naturali virium contentione pervenerit, gratia Dei adiuvari, et hoc, quod adhuc sit naturale (fides), id ipsum nunc „et" ex gratia Dei accipere, sc. fides adhuc naturalis gratia Dei (quocumque modo operante) supernaturalis redditur. Hoc sine dubio est consentaneum catholico dogmati. Simili modo possumus naturaliter exercere virtutes; ab his tamen virtutibus naturalibus distinguendae sunt supernaturales. „Sic et qui perfectus fuerit in castitate aut in iustitia aut in veritate aut pie-

difficultatem doctrinam gratiae et liberi arbitrii recte coniungere, atque ipse „doctor gratiae", s. Augustinus, a multis ob nonnulla de gratia dicta reprehenditur. Nostrorum etiam temporum doctrinae, quantum aliae ab aliis discrepent, satis notum est. Alexan-

---

tate, non fuerit tamen ei aut castitas aut iustitia aut virtus (veritas?) aut pietas, quae venit ex gratia Dei, in nihilum reputatur huiusmodi homo. Propterea, si volumus, ut detur nobis virtus perfectior, et abundet in nobis, quod perfectum est inter homines, per diligentiam omnimodo acquiramus; et postquam acquisierimus, quasi intelligentes, quoniam in nihilum reputantur sine gratia Dei, humiliemus nosmetipsos sub manu valida Dei, et oremus, ut . . . omnium bonorum, quae sunt in nobis, perfectio detur ex Deo, et faciat nos perfectos et acceptabiles Deo, quasi filios Dei" In Matth. com. ser. 69. „Tales" (i. e. peccato obnoxios et ad virtutes tantum naturales exercendas aptos) „invenit nos adventus Christi, sed vivificavit per gratiam suam". „Et hoc est fortassis, quod in initiis homo, cum propositum fuisset, ut ad imaginem et similitudinem Dei fieret, ad imaginem quidem factus est, similitudo dilata est ob hoc, ut prius confideret in Deum", (— quam tamen fidem iam gratiam esse adiungere debemus — cf. Pr. III. 1. 18.) „et ita fieret similis ei, et ipse audiret, quia similis ei fiet omnis, qui confidit in eum". Non ergo omnia a prima operatione hominis pendent; dicit scriptura Deum „vocare, ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt", et „quae stulta sunt mundi (i. e. „gentes") elegit Deus, ut confundat sapientes". Sed etiam accuratior est Origenes; apertissime distinguit gratiam naturalem et supernaturalem. „Sicut enim in hoc, quod subsistimus, non potest intelligi, quasi ex operis nostri mercede subsistamus, sed evidenter Dei munus est, quod sumus, et gratia **conditoris**, qui esse nos voluit, ita et si haereditatem promissionum Dei capiamus, divinae gratiae est, non alicuius debiti aut operis merces"; „quod si forte videatur hoc ipsum, quod dicitur ex fide non esse gratis, quippe si offerenda sit fides prius ab homine, et ita a Deo gratia promerenda, audi, quomodo in aliis etiam de hoc idem apostolus docet". Ubi enim apostolus „enumerat dona Spriritus, quae dicit secundum mensuram fidei credentibus dari, ibi inter cetera etiam donum fidei asserit per Spiritum sanctum dari. Post multa namque ita etiam de hoc dicit: ‚alii fides in eodem Spiritu' ut ostendat, quia **etiam** fides per gratiam datur". In ep. ad Rom. IV. 5. Si ergo ib. VII. 16 Origenes dicit, „quod homo quidem laborem impendat et sollicitudinem, Deus autem successum operi tribuat et effectum", item Sel. in Ps. CXX. 8. 20: *παρ' ἡμῖν δεῖ εἶναι τὰς ἀρχάς, καὶ ὁ Θεὸς τοῦ ὀρέξαι χεῖρα ἑτοιμός*, his verbis non dicitur gratiam consequi tantum voluntatem humanam, sed, quae naturalibus viribus agat homo, ea per gratiam in melius perfici et altiorem accipere dignitatem. — Quamquam mihi conscius sum me non minus „vorurteilsfrei an die Prüfung dieser Frage" accedere quam Klein (cf. l. c. p. 28), tamen non possum „ohne Weiteres zugeben", „daß Origenes der eigentliche Praeformator des Semipelagianismus ist"; (ib. p. 31. a. 2.) imo iis, quae supra exposuimus, puto refelli, quae non plane recta exposuit Klein l. c. p. 28—31.

drinus noster, cuius de libero arbitrio doctrina eadem fere ac Stoicorum est, quamquam tantum momenti tribuit libero arbitrio omnemque hominis felicitatem ponit in directione voluntatis, tamen in suo systemate gratiae satis magnum dedit locum, atque revera dicere possumus Origenis de gratia doctrinam in omnibus fere rectae fidei consentire. Imo multa sunt de gratia egregie dicta ab Origene. Nihil enim sola nostra operatio et intentio sufficit, praemia virtutis et vitae aeternae in sola Dei gratia reponuntur omniaque, quae habemus virtutis merita, a Dei munificentia super meritum remunerantur. [1])

Ex singulis, quae de gratia in Origene scripta inveniuntur, gratiam antecedentem et consequentem, et gratiam perseverantiae scriptorem novisse credimus. Nostris enim dicit viribus nos posse operari et virtutum studio naturalibus viribus nos dedere; nostris laboribus pervenire nos posse ad fidem; ut tamen haec virtutum opera sint vere meritoria, et hi fidei actus actus salutares, indigemus principio supernaturali, quod est prima conditio, sine qua non possumus esse tales, quales nos vult Deus. Ad facienda bona opera movemur a gratia Dei, qui vel ipse vel per spiritus coelestes ad singula bona agenda nos incitat. Sed etsi angeli, imo ipse Deus, per gratiam in cordibus nostris operatur, tamen possumus gratiae eius resistere. Sicut enim „possibile est, cum maligna virtus nos coeperit ad malum incitare, abicere a nobis pravas suggestiones et resistere suasionibus pessimis et nihil prorsus culpabiliter gerere“, ita etiam „rursum possibile est, ut cum nos divina virtus ad meliora provocaverit, non sequamur, liberi arbitrii potestate in utraque nobis servata“. [2]) Itaque si divina gratia nos adiuvat, multa et „maxima“, quae „supra hominem posita“ sunt, gratia Dei „fiunt voluntate Dei possibilia“. Nam „quis negat impossibile homini esse, investigare, quae sunt in coelis? impossibile tamen istud immensa Dei gratia possibile fit“; et similiter multa, quae sunt „impossibilia hominibus, gratia Dei fiunt possibilia“. [3]) „Nostra perfectio non quidem nobis cessantibus et otiosis efficitur, nec tamen consummatio eius nobis sed Deo, qui

---

[1]) Cf. Denis. l. c. p. 271—280.

[2]) Pr. III. 2. 4.

[3]) De orat. 1.

est prima et praecipua causa operis, ascribetur". [1]) Certe etiam hoc, quod docet Origenes, sanam probat gratiae doctrinam: „in bonis rebus" — (omnibus ergo, nullis exceptis) — „humanum propositum solum per se ipsum imperfectum est ad consummationem boni, adiutorio namque divino ad perfecta quaeque perducitur". [2]) Haec divina gratia maxime nobis opus est, ut superemus tentationes: „unde ego arbitror, quod nunquam homo fortassis per se ipsum virtutem contrariam vincere potest, nisi usus fuerit adiutorio divino". [3])

Etiam ad hoc dicit Origenes nos indigere divina gratia, ut perseveremus in bono et accipiamus regnum coelorum: „non solum igitur ad id, ut honestus et bonus fiat aliquis, opus est voluntate nostra et divina ope conspirante, quae, quantum ad nos, arbitraria non est, sed ad id etiam, ut, qui honestus et bonus evasit, in virtute perseveret, quod nimirum in ruinam delapsurus sit etiam perfectus, si in honestate fuerit elatus et sibi huius causam arroget nec debitam gloriam referat ei, qui multo plus **ad acquirendam et retinendam** contulit". Quidquid ergo dixit et docuit de libero arbitrio Origenes, certe credit et dicit cum ecclesia catholica: „multo minus conferre ad comparanda bona voluntatem nostram quam divinam gratiam", atque „finem *(τὸ τέλος)* non esse volentis neque currentis, sed Dei miserantis". [4])

---

[1]) *ἡ ἡμετέρα τελείωσις οὐχὶ μηδὲν ἡμῶν πραξάντων γίνεται, οὐ μὴν ἀφ' ἡμῶν ἀπαρτίζεται, ἀλλὰ Θεὸς τὸ πολὺ ταύτης ἐνεργεῖ . . . καὶ ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γοῦν σωτηρίας πολλαπλάσιόν ἐστιν εἰς ὑπερβολὴν τὸ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, τοῦ ἀπὸ τοῦ ἐφ' ἡμῖν.* Pr. III. 1. 18.

[2]) Pr. III 2 2.

[3]) Pr. III. 2. 5; quae dicuntur Pr. III. 2. 3. non his repugnant. „A Deo autem (inquit Origenes,) datur, non ut sustineamus, alioquin nullum iam videretur esse certamen, sed ut sustinere possimus." Antea enim dixerat auctor: „dubium enim non est, quod in omni tentatione adest nobis tolerandi virtus, si tamen nos competenter utamur virtute concessa. Non enim idem est, habere vincendi virtutem et vincere"; et postea dicitur: „ea autem virtute, quae nobis data, ut vincere possimus, secundum liberi arbitrii facultatem aut industrie utimur et vincimus, aut segniter et superamur". Nihil aliud hisce dicitur, nisi potentias hominis completas esse, ut nunc iam possit ipse vincere. Hoc ita esse probatur ex h. in Exod. V. 4; cf. etiam excerpt. in Ps. XXXVI. 17: „Equidem omnis homo infirmus est, et, quantum in se est, succumbit, habetque opus suffulciente cadentes aut restituente deiectos."

[4]) Sel. in Ps. IV, n. 571. M. 12. p. 1161. A: *οὐ μόνον τοίνυν εἰς τὸ καλὸν*

Sicut Origenes sanam profert de gratia doctrinam, ita etiam recta sunt, quae de praescientia (*πρόγνωσις*) Dei scripsit. Praenoscit quidem Deus omnia, quae futura sunt, etiam ea, quae nos ex liberi arbitrii facultate facturi sumus, itaque dicere possumus: sors et fortuna omnis hominis ab aeterno quidem destinatae et praeordinatae sunt, sed cum a rerum ordine naturali pendent, tum etiam a speciali quadam providentia Dei, quae, si licet ita loqui, determinatur per ea, quae ex libertate arbitrii faciunt homines. [1]) Itaque haec omnia iam ab aeterno in mundi huius ordinem et harmoniam recepta et ordinata sunt. Non ergo fiunt actiones nostrae, quia praevidit eas Deus, imo, quia vere futurae sunt, praevidit eas Deus (*οὐ γὰρ ἐπεὶ ἔγνωσται, γίνεται, ἀλλ' ἐπεὶ γίνεσθαι ἔμελλεν, ἔγνωσται*); [2]) Deus enim minime providere aliquid posset, quod re vera numquam futurum esset. Non offen-

---

καὶ ἀγαθὸν γενέσθαι χρεία καὶ τῆς προαιρέσεως τῆς ἡμετέρας καὶ τῆς θείας συμπνοίας, ἥτις ἐστὶν ὡς πρὸς ἡμᾶς ἀπροαίρετος· ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ γενόμενον καλὸν καὶ ἀγαθὸν διαμεῖναι ἐν τῇ ἀρετῇ· μεταπεσουμένου καὶ τοῦ τελειωθέντος εἰ ὑπερεπαρθείη ἐπὶ τῷ καλῷ, καὶ ἑαυτὸν ἐπιγράφοι τούτου αἴτιον, οὐχὶ δὲ τὴν δέουσαν δόξαν ἀναφέρων τῷ τὸ πολλῷ πλεῖον δωρησαμένῳ εἰς τὴν κτῆσιν καὶ τὴν συνοχὴν τῆς ἀρετῆς. — Quae cetera dicuntur de gratia, non nostrum est exponere; quae de gratia sanctificante putarit Adamantius, supra p. 40 dicta sunt, et nonnulla adiungenda erunt, ubi de virtutibus et de baptismi sacramento agemus. Ceterum omnis gratia in doctrina Origenis recte putatur esse operatio Dei indebita, interna in animam nostram; nam „distinctionem dedit (apostolus) mercedis et gratiae dicens mercedem rem debiti esse, gratiam autem nullius esse debiti, sed benevolentiae beneficium". In ep. ad Rom. IV. 5; „quae per gratiam" sunt, „intra nos habentur"; „quae ex gratia descendunt per Spiritum Dei, in corde nostro descripta sunt", et „haec Dei Spiritu inscripta in animae penetralibus impressa firmitatem perpetuitatis obtinent". Ibid. l. c. Alia de Origenis de gratia doctrina inveniuntur Denis l. c. p. 271—277; Bigg. l. c. l. VI. p. 200-202; Wörter, die christliche Lehre über das Verhältnis von Gnade und Freiheit bis auf Augustinus. 1860. p. 201—283; Vincenzi, l. c. II, c 30.

[1]) *ἀναγκαίως τοῦτο μετὰ τῶν λοιπῶν πρὶν γένηται, τῷ Θεῷ ἔγνωσται ἀπὸ κτίσεως καὶ καταβολῆς κόσμου, ὁποῖον ἔσται. καὶ ἐν πᾶσιν, οἷς προδιατάσσεται ὁ Θεὸς, ἀκολούθως ἑώρακε περὶ ἑκάστου ἔργου τῶν ἐφ' ἡμῖν προδιατέτακται, καὶ ἀξίαν ἑκάστῳ κινήματι τῶν ἐφ' ἡμῖν τὸ καὶ ἀπὸ τῆς προνοίας αὐτῷ ἀπαντησόμενον, ἔτι δὲ καὶ κατὰ τὸν εἱρμὸν τῶν ἐσομένων συμβησόμενον. οὐχὶ τῆς προγνώσεως τοῦ Θεοῦ αἰτίας γινομένης τοῖς ἐσομένοις πᾶσι, καὶ ἐκ τοῦ ἐφ' ἡμῖν κατὰ τὴν ὁρμὴν ἡμῶν ἐνεργηθησομένοις. Εἰ τοίνυν τὸ ἑκάστου ἐφ' ἡμῖν αὐτῷ ἔγνωσται, καὶ διὰ τοῦτο προεωραμένον αὐτῷ διατάσσεται ἀπὸ τῆς προνοίας τὸ κατ' ἀξίαν παντὶ τὸ εὔλογον.* De orat. 6.

[2]) Tom. III. in Gen. ad cap. I. vers. 14. n. 6. p. 65; cf. in ep. ad Rom. I. 3; in Jerem. h. XVIII. 6.

dunt ergo contra hanc nostram libertatem, quae de praedestinatione docentur in ecclesia. Hoc quidem praeter omnia tenendum est neminem propter naturalem indolem vel naturalem habitum servari et salvari, alios ob easdem causas damnari, [1]) sed per sua ipsius vel peccata, vel virtutes unumquemque vel beatitudinem, vel miseriam aeternam adipisci. „Praecedit ergo praescientia Dei, per quam noscuntur, qui in se labores et virtutes habituri sint, et ita praedestinationis causa putabitur praescientia. Quod enim apud homines uniuscuiusque meritum pensatur ex praeteritis gestis, hoc apud Deum indicatur“. [2])

[1]) Cels. V. 6. 1. Cf. supra p. 95, 96.

[2]) Com. in ep. ad Rom. I. 3. Hic nonnulla dicenda sunt, quae scripsit Origenes de oratione. „Es giebt eine Erhörung des Gebetes ungeachtet des ewig unwandelbaren und untrüglichen Vorherwissens Gottes. Denn dasselbe ist keine zwingende Vorherbestimmung (kein *προδιατετάχθαι*, praedeterminatio), durch die wir fromm oder lasterhaft, glücklich oder elend werden und bleiben ohne eigenes Zuthun, sondern eben unsere freien Handlungen sieht der Herr voraus, und unser fleißiges und weises Beten, oder unser thörichtes Zweifeln und Wünschen bestimmte ihn vorlängst bei der Anordnung unserer Geschicke.“ Redep. II. p. 35. — Novit Origenes quatuor orationis species: 1) obsecratio *(δέησις)*, i. e. „emissae ab aliquo suppliciter preces, ut id, quo indiget, consequatur; 2) „oratio *(προσευχὴ)*, quam quis de maioribus rebus *(περὶ μειζόνων)* elatiore animo, Deum glorificando, emittit“; 3) „postulatio *(ἔντευξις)* est petitio ad Deum ab eo facta, qui maiore quadam confidentia utitur“; 4) „gratiarum actio *(εὐχαριστία)* est de bonis a Deo impetratis coniuncta orationibus confessio, cum beneficii magnitudo per confessionem agnita aut ei, qui accepit, apparens ipsius accepti beneficii loco sumitur“. De orat. 14. Debemus omnes orare, „maxime etiam necessaria est ad res divinas intelligendas oratio“. Ep. ad Gregor.. Non sufficit orare „certo quodam orationis tempore, sed tota vita nostra, qui indesinenter oramus, dicat ‚pater noster, qui es in coelis‘; sitque conversatio nostra nullo modo super terram, sed omnino in coelis“. De orat. 22. „De terrenis exeundum est ei, qui de divinis colloquium habiturus est“. Sel. in Gen. 38. Mirabiles habet oratio effectus, quare „multo plus valet unus sanctus orando, quam peccatores innumeres praeliando“. H. in Num. XXV. 2; In oratione „non multum loquendum, non exigua petenda, nec de terrenis rogandum, nec cum ira aut animo perturbato, sed neque sine puritate; nec remissionem peccatorem potest orans consequi, nisi ex corde remiserit fratri illatae veniam iniuriae postulanti“; „utile erit omnino“, siquis „mente intentus“ etiam positione vel genuflexione cet. se loqui cum „supremo Deo“ ostendat cet. De orat. 8.

VI. De variis agendi motivis et gradibus perfectionis.

Res summi momenti in vita morali est recta agendi intentio. Hominis enim, ut animalis rationalis, omnes actus liberi maxime cum ratione coniuncti sunt. Nihil voluntas nostra petit, quod non antea intellectus petendum ei proposuerit; neque umquam omnino movetur voluntas, nisi quid ei occurrerit, quod ei placeat eamque delectet.[1] Cum autem multa sint, quae petere non licet, ab his abstinendum esse primum quidem constat. Sed etiam in his, quae petere licet, multa est volendi varietas, et secundum haec, quibus incitamur ad agendum, varius est valor operationum nostrarum.

Hoc quidem primum principium statuere possumus: Dei voluntatem supremam actionum humanarum esse normam, atque hanc ob rem omnia fieri debere consonantia cum divina voluntate.[2]

---

[1]) Aug de divers. qu. ad Simpl. 22: „voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit, quod delectet atque invitet animam, moveri nullo modo potest". Tertull. adv. Marc. I. 25: „quae autem voluntas sine concupiscentiae stimulo est? Quis volet, quod non concupiscet?" Cf. Scholasticorum illud „nihil volitum, nisi cognitum".

[2]) *πάντα δεῖν ἀρεσκόντως πράττειν Θεῷ ὡς κριθησομένους.* Cels. VII. 35. „Non sufficit apud homines videri servare veritatem". H. in Jes. Nav. V. 2; Simar, Moralth. Freiburg 1893. p. 17: „Tertullian (160—240) hob zuerst hervor, daß der Wille Gottes das höchste Prinzip des sittlich Guten sei". Cf. Tertull. de poen 4: „nos vero pro nostris angustiis unum inculcamus, bonum atque optimum esse, quod Deus praecipit. Audaciam existimo de bono divini praecepti disputare. Neque enim, quia bonum est, idcirco auscultare debemus, sed quia Deus praecepit. Ad exhibitionem obsequii prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis".

Hoc ergo etiam constat, cum Deus omnium sit principium et finis ultimus, „fontem omnis utilitatis et principium esse summo Deo credere, in omnibus actibus eo spectare, ut illi placeant, et ne cogitare quidem quidquam, quod illi displicere possit“. [1]) Ad cultum ergo Dei vocati sumus, qui in integra vita posita est, [2]) et per hoc Dei servitium vere dignitate et nobilitate extollimur, cum sit religio, qua fiant servi ingenui. [3]) Neque hoc religionis servitium Deo sufficeret, si quis obiective atque legali tantum modo leges divinas impleret, sed totus homo et tota voluntatis vis et directio ad Deum tendere debet. „inanis enim dicitur omnis actus et omnis sermo, in quo non est intrinsecus aliquid pro Deo vel pro mandato Dei“. [4]) Non ergo dimidiate tantum, quae Deo placent, operemur, sed „cum operibus etiam cor, bonorum operum fons et principium“, serviat maximo creatori, [5]) „qui omnia videt et audit voluntatemque ipsum quaerentem et pietati studentem diiudicat“. [6]) In omnibus ergo actionibus cum non opere tantum sed etiam mente et intentione Deum quaerere debeamus, quidnam ad actiones et valorem actionum importet intentio, videamus. Quanti sit momenti intentio et ratio agentis, intelliges, si e. gr. conferas, qua ratione multi homines ab adulterio abstineant: abstinent multi quidem „boni publici studio“ commoti, et „quia naturae repugnet“; Epicuraei, quia „multa voluptati eius officere“ putant, „qui uni adulterii voluptati cedit“, (cum quidem in omnibus summam quaerant libidinem, quae in hoc esse vel compleri nequeat;) abstinent et multi idiotae, et hi quidem maxime cohibentur metu legum et suppliciorum. „Vides ergo factum, quod unum videtur, (cuius-

---

[1]) Cels. IV. 53.

[2]) Cels. VIII. 10.

[3]) Ibid. III. 54: *ἐλεύθερον ἀναλαμβάνοντες φρόνημα ἐξευγενισθεῖεν ὑπὸ τοῦ λόγου.*

[4]) H. in Num. XXV. 3: „non omnis labor peccata eximit, sed ille, qui propter Dominum agendo impenditur“. Sel. in Ps. XXIV. 18; Cels. VII. 51; „nos enim vitae officiis fungi dicimus eum, qui prae oculis habet, et quis conditor sit, et quae grata illi sint, quique id agit, ut semper Deo placeat“, ib. VIII. 57; Christus, optimae nobis vitae exemplum *(παράδειγμα ἀρίστου βίου)*, hortatus est homines, „ut quaecumque facerent, Deo placerent omnia“, ib. I. 68. Cf. supra p. 112. a. 2.

[5]) De orat. 22.

[6]) *τὴν ἑκάστου προαίρεσιν ζητοῦσαν αὐτὸν καὶ εὐσεβεῖν βουλομένην κατ' ἀξίαν κρίνων.* Cels. VIII. 53.

modi est adulterii abstinentia,) non idem tamen, sed diversum fieri pro diversis hominum voluntatibus, quae vel a sanis vel ab improbis et impiis oriuntur principiis, cuiusmodi sunt in Epicuraeo aut illo idiota". [1]) Simili modo non est recta intentio, si quis bonum facit ex tristitia vel necessitate vel, ut ab hominibus videatur. [2]) Deus enim, quod homo non potest, corda hominum scrutatur et interrogat, [3]) itaque valorem hominis ex vera operis et intentionis congruentia diiudicat. [4]) Sicut enim non hoc proprium peccatum est, committere aliquid opere quidem malo e. g. necare hominem involuntarie, sed tunc demum est completum peccatum, si concordat actio mala cum malo animo: [5]) ita

---

[1]) *τὸ ἓν εἶναι νομιζόμενον ἔργον παρὰ τὰς προθέσεις τῶν ἀπεχομένων οὐ ταὐτὸν ἀλλὰ διάφορον γίγνεται.* Cels. VII. 63. Cf. Method. *περὶ τοῦ αὐτεξουσίου,* Bonw. l. c. p. 45.

[2]) „Honorem Deo offert, qui non ex tristitia vel ex necessitate pauperi dat eleemosynam." Sel. in Ps. XXVIII. 1. Quod hominum causa facimus: „quod enim tantum videtur, pulchrum non est, quippe quod opinione solum sit et non vere, animumque falsa et inani imagine decipiat". De orat. 20. „Quod pulchrum existimari potuisset et dignum laude, tunc inquinatur, cum ideo fit a nobis, ut videamur ab hominibus et gloriam ab hominibus accipiamus". De orat. 19. Cf. com. in Joan. tom. XXVIII. 12. „Pura mens solet exaltare Deum." Sel. in Ps. LXXXXVIII. 9. „Fieri potest, ut iuxta quod extrinsecus patet, iustus quis sit coram hominibus" cet. Schol. in Luc. I. 6. Cf. Exp. in Prov. III. 21; Sel. in Ps. XXIII. vers. 4; Sel. in Gen. XXXV.

[3]) „Neque enim propositum mentemque alterius videre alius aut cognoscere potest." H. in Num. XV. 3.

[4]) „Opera namque sunt. quae commendant hostiam Deo", h. in Levit. V. 12; ib. II. 5.

[5]) Huc referas Adamantium putare rem malam fieri posse bonam per bonam intentionem, cf. Com. in Matth. tom. X. 22 [quod citatur infra p. 125. a. 6.]; h. III. in Levit. Cf. etiam in Ciceronis lib. I. et III. de officiis, quae dicunt gentilium philosophi de servandis promissis. Similia dicenda sunt de iis, quae scripsit Origenes de mendacio officioso. Putat enim Deum multa quidem dicere „verbis ambiguis" et „per aenigmata, ut veritatis apud eum dignitas servaretur"; „homo autem, cui incumbit necessitas mentiendi", e. g. medicus aut principes, „quos oportet aliquando mentiri vel contra hostes vel pro patria et civibus", diligenter attendat, ut sic utatur interdum mendacio, quomodo condimento et medicamine". In his enim mendaciis debet teneri mensura, sicut tenuerunt Judith, Esther, Jacob. Si autem mentimur, ut magnum nobis ex hoc aliquod quaeratur bonum, adversarii sumus eius, qui se esse dicit veritatem. Ex lib. VI. Strom. s. Hier. lib. I. adv. Ruf. Similia dicit Clem. Al.: „Es giebt für den Gnostiker auch einen Fall, wo er nicht die Wahrheit sagt, wenn es nämlich zum Nutzen des Nächsten notwendig ist, wenn er also wie der Arzt handelt, der auch in der Lage sein kann, dem Kranken zu seinem Heile etwas falsches sagen zu müssen, aber eine solche Herablassung zur Schwachheit der Andern ist keine Falschheit, sondern steht im Dienste der Liebe und ge-

etiam nihil vere boni perficitur, nisi animus bonus cum bono opere consentit, id quod Deus solus secundum veritatem diiudicare potest. [1])

Sequitur igitur fieri diversam actionem agentis secundum diversum propositum, diversam legem, diversum agentis consilium. [2])

Ex iis rationibus, quae christianorum animas ad agendum impellere debent, primum quidem Origenes commemorat timorem, cuius plures sunt gradus, timor sc. minus et magis laudabilis. Generatim timor, „qui passio quidem sit, est infortuniorum exspectatio“ *(φόβος παθητικὸς)*, et revera, qui hoc timore ignem aeternum perhorrescunt, pravitatem evitant. [3]) Sed acrius distingendum est, qualis sit ille metus poenarum. Sunt enim, qui tantum commiserint nequitiae, ut magno quidem corripiantur timore, sed simul maximam perturbationem et desperationem incurrant. Hic timor non tam est Dei timor quam daemonum, „qui illos ad desperationem incitant“. [4]) Multi etiam sunt, „quos vix aeterni supplicii metus *(φόβῳ τῆς αἰωνίου κολάσεως)* continet, quin se totos nequitiae malisque ex ea consequentibus tradant“. [5]) Ne hic quidem est timor vere honestus, cum non efficaciter voluntatem a peccato avertat. Timor salutaris, quem Scriptura vocat initium sapientiae, ille est, quo vere Deus timetur, et peccatum abicitur. [6]) Sed priusquam ad hunc laudabilem

---

schieht zum Nutzen der andern allein. Hierin stimmt Clemens mit Plato und Philo überein.“ Winter p. 143.

[1]) Com. in ep. ad Rom. II. 1. „Actus ergo cum ratione et ratio cum actibus sociatur, ut sit consonantia in utroque.“ H. in Exod. XIII. 7.

[2]) *ἡ γὰρ πρόθεσις, καὶ ὁ νόμος, καὶ τὸ βούλημα τοῦ περιτέμνοντος ἀλλοῖον ποιεῖ τὸ πρᾶγμα.* Cels. V. 47; „sic itaque diversa erit circumcisio pro diversa eorum, qui circumciduntur, doctrina“. Ib. l. c. Cf. infra p. 124. a. 2. Speciali opere sc. exp. in ep. ad Rom. se haec longius explicasse dicit Origenes (ib. l. c.), quae tamen expositio, latina versione nobis relicta et multum abbreviata, nihil fere de hac re dicit. Cf. supra p. 99. adnot. 4.

[3]) Fragm. in Prov. I. vers. 7.

[4]) „Pigros ad poenitentiam non timor Dei impellit sed daemonum, qui illos ad desperationem incitant.“ Exp. in Prov. XVII. 71.

[5]) Cels. VI. 26.

[6]) Nihil „cor nostrum aeque custodit, ac timor Dei, siquidem timor Dei quilibet a malo declinat.“ Sel. in Ps. CXL. 3. Cf. in Levit. h. VII. 6. n. 227: „Multi et ex philosophis sapiunt et futurum esse iudicium credunt. Immortalem namque animam sentiunt et remunerationem bonis quibusque positam confitentur. Hoc et haeretici nonnulli faciunt et, quantum expetit, timo-

timorem, timorem Domini, pervenire possis, sapientia *(σοφία)* et intelligentia *(σύνεσις)* anteire debent. [1]) Ad hunc timorem acquirendum, et mores ita vere emendandos, fides nostra vehementer nos excitat. [2]) Ipse enim Jesus nos docuit in omnibus actibus cogitare Deum aliquando nostrum iudicem fore, [3]) hoc ergo si facimus, vere in Dei timore sumus. Sed maiorem timoris Dei honestatem idem Deus nobis ostendit; „vult enim, ut non metu poenae, sed amore pietatis patris praecepta custodiat“ homo. [4]) Ut ergo timor ille Dei iudicis sit motivum, quo uti debemus, magis tamen Deo placent alia motiva, spes et caritas. Duas ponit Origenes species hominum omnium eorum, qui per fidem ad salutem properant. Altera est „eorum, qui promissionum coelestium cupiditate incensi summo studio diligentiaque nituntur, ne una saltem minima eos beatitudo praetereat, habentes desiderium, non solum benedictionis capiendae et effici in parte sortis sanctorum, sed etiam assistere in conspectu Dei et semper esse cum Domino“. Altera est species eorum, „qui et ipsi tendunt ad salutem, sed non tam amore benedictionum et desideriis inflammantur, quam hoc habent magis in conspectu, ut dicant: sufficit mihi non ire in gehennam, sufficit mihi non ire in ignem aeternum“. Talis autem cum propositi sit diversitas, certum est „nobiliores esse illos, qui boni desiderio et benedictionum amore, quod bonum est, agunt, quam illos, qui pro mali metu bonum sectantur“. [5])

---

rem futuri iudicii gerunt et actus suos tamquam in divino examine requirendos cautius temperant“.

[1]) Exp. in Prov. II. 14: *τότε συνήσεις, πῶς ὁ φόβος τοῦ Κυρίου ἀρχὴ σοφίας ἐστιν καὶ πῶς τῆς τοῦ Θεοῦ γνώσεως γίνεται πρόξενος, ὅταν ἐν πίστει καὶ πόθῳ αὐτῷ ὑπάρχῃς προσδεής. προϋπάρξαι δὲ δεῖ σοφίαν καὶ σύνεσιν πρὸς τὸ δυνηθῆναι συνεῖναι φόβον κυρίου.* Dicitur hoc loco timorem esse initium sapientiae et tamen sapientiam praecedere timori. Ne tamen putaveris esse duas species timoris, quae hic confundantur; nam sine vera peccati cognitione, quam docet sapientia, nullus omnino timor concipi potest; si autem semel conceperis timorem, magnum ex hoc facies in virtute et sapientia progiessum.

[2]) Cels. I. 68: „Confusio haec affectus est laudabilis, qui peccantem ad sui ipsius conscientiam ducit“, *ἡ αἰσχύνη αὕτη πάθος ἐστιν ἐπαινετὸν εἰς συναίσθησιν ἄγον τὸν ἁμαρτάνοντα.* Sel. in Ps. XXXIV. vers. 4.

[3]) Cels. I. 38.

[4]) H. in Lev. XI. 2.

[5]) H. in Jes. Nav. IX. 7; ibid. iterum invenitur distinctio inter eos, qui non metu poenae, sed benedictionum et repromissionum desiderio veniunt ad salutem, et eos, qui malorum metu et suppliciorum timore complentes, quae in lege scripta sunt, veniunt ad salutem.

Has ergo divinas repromissiones nostramque utilitatem nostrosque profectus spiritales ut ex Dei servitio speremus, omnino a Deo permittitur, immo haec spes nos intime cum Deo coniungit. [1])

Supremum motivorum caritatem esse ex omnibus Origenis scriptis apertissime elucet; eiusque praestantiam maxime ex timore opposito edocet. „Declinare a malo timor docet, facere bonum dilectio *(ἡ ἀγάπη)*, quare is, qui diligit, maior est timente". [2]) Sit etiam „in timore laudabilis gloriatio", tamen meliores sunt, qui diligunt quam qui timent. [3]) Scriptura omnes nos adhortatur ad Dei servitium hisce verbis: ‚Servite Domino in timore'. Per hoc autem minime summum motivum indicatur timor, sed potest „etiam filius servire; nec solus timor, sed et caritas servitutis est causa". [4]) Jesus, ut in omnibus rebus, etiam in hoc nobis exemplum est. Is enim in coena discipulorum pedes lavit, non quidem „cum timore. Liquet enim haec ab ipso perfecta caritate *(ἀγάπῃ τελείᾳ)* facta fuisse". [5]) Qui poenas metuit, hanc perfectam caritatem non habet, neque ipse perfectus est. Cum tamen, ut supra dictum est, „filii quoque servire Deo possint, timor accipiendus est pro ea, quae apud quosdam appellatur reverentia *(εὐλάβεια)*, quae nunquam poenam habet". [6]) Si ergo dicimus timorem eici per caritatem, hic est timor ille inferior et imperfectus, qui maxime poenas peccatorum, non autem peccatum ipsum exhorrescit; hunc igitur timorem eicit perfecta caritas; timor autem Dei verus, qui ipse bene et amice coniungitur cum caritate, est „pietas religiosa, iuxta quam religionem vult quis vehementer in mandatis eius, desiderio sincero ad

---

[1]) Cels. VIII. 6. Multi etiam gentium philosophi ad exercendas virtutes multum operae contulerunt; in hoc quidem Stoici eo usque processerunt, ut contenderent virtutem „propter ipsam" amplectendam esse. (Cels. 5. 47.) Christiana religio docet utilem proprie esse virtutem tam pro felicitate in terris, quam in coelis acquirenda (*τὸ κυρίως συμφέρον ἀρετή ἐστιν, καὶ ἡ κατ' ἀρετὴν πρᾶξις*. Cels. VIII. 62.), atque certe haec virtutis speranda praemia nos ad bona agenda vehementer excitant; (Sel. in Gen. XXXV.) nimirum haec virtutis felicitas speranda non est, si ob mala motiva bonum agitur. (Scholia in Luc. I. 6.)

[2]) Sel. in Ps. XXXII. 15; Com. in ep. ad Rom. II. 12.

[3]) Sel. in Ps. V. 12.

[4]) Sel. in Ps. II. 11.

[5]) Ib. l. c.

[6]) Ib. l. c.; de hoc timore, „qui poenam non habet", saepe loquitur scriptura divina, ib. l. c.

opera redigens illa, quique fit principium sapientiae Dei secundum initiationem". [1])

His ergo motivis tendimus omnes, ut veram nostram felicitatem, positam in servitio et intima unione Dei, assequamur. Cum tamen id non ab omnibus pari perfectionis gradu fiat, superest, ut, qualem putet Adamantius esse effigiem verae et summae perfectionis, investigemus. Ut veram nanciscamur salutem, primum requiritur, ut Deum recte cognoscamus. [2]) Ad hanc cognitionem accipiendam fide opus est; fidei absoluta necessitas, quam Clemens Alexandrinus iterum atque saepius exprimit, multis locis etiam ab Origene affirmatur. [3]) Haec fides gratia et effectus Spiritus sancti est, etsi ad eam naturalibus viribus nos disponere possumus. [4]) Non omnes eamdem fidei men-

---

[1]) *Θεοῦ δὲ φόβος ἀληθὴς ἡ κατὰ σεβασμὸν εὐλάβεια, κ. τ. λ.* fragm. in Prov. c. I. vers. 7. — Patres, si de timore, qui cum caritate non coniungitur, agunt, saepissime eum videntur intelligere, qui mere metuit poenas, vel eum, qui poenas quidem metuit, sed etiam tam est, uti dicimus, serviliter servilis, ut poenas mereatur. Origenem non semper eodem sensu loqui videri potest ex iis, quae dicit de filiis Abraham; sicut filius alter Abrahae erat de ancilla et alter de libera, quorum alter „accepit benedictionem et repromissionem", sed etiam alter „accepit dona et non dimittitur vacuus", ita omnes christiani possunt filii Abrahae dici et recipiunt alii merita gestorum alia. In his enim sunt „aliqui pro caritate adhaerentes Deo, alii pro metu et timore futuri iudicii. Unde et apostolus Joannes dicit: ‚qui timet, non est perfectus in caritate; perfecta autem dilectio foras mittit timorem'. Iste ergo, qui in caritate perfectus est, filius liberae est, qui vero non perfecta caritate, sed futurae poenae metu et suppliciorum timore mandata custodit, est quidem et ipse filius Abrahae, accipit et ipse dona, i. e. operis sui mercedem, quia etiam, ‚qui calicem aquae frigidae dederit tantum in nomine discipuli, non peribit merces eius'. Tamen inferior illo est, qui non servili timore, sed in caritatis libertate perfectus est." In Gen. h. VII. 4. Ita consequenter debebat Origenes scribere de timore, quia ipse identidem homines, metu poenarum inferni commotos, ad viam virtutis facillime converti dicit; cf. exp. in Prov. Sal. I. 7. M. 17. p. 163. — Uti tamen ex his exemplis videri potest, non semper aperta est in Origene distinctio, quam facimus inter amorem concupiscentiae et amicitiae. Augustinus ipse vix novit hanc distinctionem. Recte tamen Origenes caritatem eiecto timore perfectiorem esse dicit quam eam, quae adhuc coniuncta sit cum timore.

[2]) In Ps. LXXXV. 2: *ἡ σωτηρία τῆς λογικῆς φύσεως ἡ γνῶσίς ἐστιν, ἡ τοῦ Θεοῦ.* Ib. III. 148: *ἡ γνῶσις τοῦ Θεοῦ σωτηρία ἐστι ψυχῇ.* (Cf. Pitra anal. sacra. III. 55. Bardenhewer, l. c. p. 160.)

[3]) In Joan. tom. I. 29; II. 4; XXXII. 9; in Matth. tom. XII. 19; XVI. 9; in Num. h. XXVI. 2.

[4]) In Matth. com. ser. 69. M. 13. p. 886; in ep. ad Rom. IV. 5; in Joan. tom. XX. 26; cf. etiam supra p. 106, 107.

suram habent; augetur enim cum intentione virium humanarum tum gratia divina, ita tamen, ut, quo magis augetur fides, etiam aliae augeantur gratiae et maiora nobis praemia reponantur. [1]) Infimus fidei gradus est is, quem Clemens et Origenes „fidem simplicem" *(ψιλὴ πίστις)* vocant. Tam enim varia est multitudo earum rerum, quas religio christiana edocet, ut ab omnibus nequeat „impetrari sive propter huius vitae necessitates, sive propter eorum infirmitatem", ut aequali modo se veritatis studio dedant. Simplex autem est hominum communium fides, quia neque comprehendunt omnia, quae ad fidem pertinent, neque rationem et causam, cur oporteat haec credere, intelligunt. [2]) Maior quam *πίστις* est scientia vel *γνῶσις*. [3]) Fides enim infimum locum occupat et maxime spectat ad simpliciores, „quandoquidem salvos fieri oportet et simpliciores, qui ad pietatem pro viribus accedunt". [4]) Qui fidem tantum habent, non iam rectum intelligunt scripturae sensum, maxime poenarum metu et aeternae felicitatis spe impelluntur ad agenda bona; Logum non noscunt, nisi incarnatum et crucifixum, qui ipse homo eos allocutus, ab iis cognoscitur. [5]) Apud simplices hos fideles uberes quidem sunt fidei fructus, exhibent enim „gravitatem, integritatem, morum ingenuitatem et simplicitatem saepe praestantiorem". [6]) Alia tamen „scrutantur, qui christianorum religionem perfectius excolere vo-

[1]) In Matth. com. ser. 69. l. c.; in Joan. XXX. 9; in ep. ad Rom. IX. 3.

[2]) Cels. I. 9; ib. I. 10, 11; IV. 66; VI. 66; VII. 49; Pr. IV. 12.

[3]) „Sowohl in wissenschaftlicher, wie in religiöser Beziehung steht höher derjenige, welcher von der *πίστις* zur *γνῶσις* übergeht. Hier zeigt sich trotz aller Gegensätzlichkeit so recht die Tragweite, welche die hellenische, besonders platonische Philosophie auf Origenes hatte, sowie die Verwandtschaft des Systems des Origenes mit den Gnostikern, besonders mit den Valentinianern." Atzberger, l. c. p. 378; Redep. I. p. 336; Origenes, in Joan. tom. XIX. 1. M. 14. p. 284. A: *ἑτέρου ὄντος τοῦ γινώσκειν τὸν Θεὸν παρὰ τῷ πιστεύειν ψιλῶς εἰς τὸν Θεόν.* ib. p. 284. C; consequenter ergo dicitur in Matth. tom. XII. 15: *τὸ πιστεύεσθαι χωρὶς γνώσεως ἔλαττόν ἐστι τοῦ γινώσκεσθαι.*

[4]) *καὶ τρίτον* (i. e. infimum) *τῶν καλουμένων χαρισμάτων τοῦ Θεοῦ, ἐπεὶ σώζεσθαι χρὴ καὶ τοὺς ἁπλουστέρους προσιόντας κατὰ δύναμιν τῇ θεοσεβείᾳ, ἡ πίστις.* Cels. VI. 13.

[5]) Cels. VI. 13; I. 9, 13, 29; II. 66; III. 65—69; IV. 9—11; VIII. 51; cf. praecipue Cels. VII. 49: *ἐξετάζεται δὲ παρὰ τοῖς τελειότερον χριστιανίζειν ἐθέλουσιν καὶ ἐπισταμένοις, ὅτι ‚στόμα δικαίου μελετήσει σοφίαν' . . ἀλλὰ καὶ παρ' οἷς εἴτε διὰ πολλὴν ἰδιωτείαν, εἴτε δι' ἁπλότητα, εἴτε καὶ δι' ἀπορίαν τῶν προτρεψάντων ἐπὶ τὴν λογικὴν εὐσέβειαν, ταῦτα μὲν οὐ τετράγωται, Θεὸς δὲ ὁ ἐπὶ πᾶσι πιστεύεται, καὶ ὁ τούτου μονογενὴς Υἱὸς, Λόγος καὶ Θεὸς.*

[6]) Cels. l. c.

lunt", i. e. gnostici. [1]) Qui hoc Dei donum [2]) adepti sunt, rectum habent sacrae scripturae intellectum atque veram fidei cognitionem; Christum intelligunt non tam crucifixum, quam Logum divinum, patri coaeternum et coaequalem. [3]) Cum ergo, qui simplicem fidem habent, quasi „carni agglutinati, imo caro" sint, [4]) Verbum gnosticos attollit „ad videndum ipsum, cuiusmodi erat, antequam caro fieret", et hanc ob rem etiam gnostici „meliores facti et supra hanc secundum carnem introductionem evecti" sunt. [5]) Multo ergo praestantior est gnosis, quam *ψιλὴ πίστις*. Quod docebat Clemens, est etiam sententia Origenis. Nemo pervenit ad *γνῶσιν*, nisi per *πίστιν*; [6]) sed in doctrina Adamantii ipsa gnosis non est summum donorum Dei. Per singulos enim gnoseos gradus [7]) ad summum et „primum" charisma pervenire possumus, ad sapientiam. Atque haec „divina sapientia" (*ἡ θεία σοφία πρῶτόν ἐστι τῶν καλουμένων χαρισμάτων τοῦ Θεοῦ*) „eorum est, qui eminent et excellunt inter eos, qui christianam religionem sectantur". „Atque hinc est, quod non obvium quemque invenias divina hac sapientia ornatum". „Nec etiam eius sapientiae arcana edisseruntur" simplicibus et rudibus. [8]) Qua divina sapientia exornati homines non solum pervenerunt

---

[1]) Ib. l. c.

[2]) *ἐφ' ἡμῖν μέν ἐστι τὸ καθορθῶσαι τὴν ἀρετὴν σὺν τῇ δυνάμει τοῦ Θεοῦ· τὸ δὲ καταξιωθῆναι γνώσεως πνευματικῆς οὐκ ἔστιν ἐφ' ἡμῖν.* Sel. in Ps. XLIII. 4; Cels. VI. 13.

[3]) In Joan. tom. I. 9; I. 20; h. in Jerem. XV. 6; Cels. II. 66. 69; III. 61; IV. 15; IV. 18; V. 18; cf. etiam supra p. 38. adnot. 1.

[4]) *τοὺς κολληθέντας τῇ σαρκὶ καὶ γενομένους ὅπερ σάρξ.* Cels. VI. 68.

[5]) *ἀναβάντας ἀπὸ τῆς κατὰ σάρκα εἰσαγωγῆς.* Cels. VI. 68. Cf. ad haec omnia Atzb. l. c. p. 379, qui in adnot. 5 plura collegit de gnosi ex Pitra an. sacr. II. et III.

[6]) In Joan. tom. I. 29; II. 4; in Matth. tom. XII. 19; XVI. 9.

[7]) *κατὰ τὴν διαφορὰν τοῦ γινώσκειν ἐστι τοὺς γινώσκοντας μὴ ὁμοίως γινώσκειν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸ παραστῆσαν τὴν γνῶσιν.* Com. in Matth. tom. XII. 15. M. 13. p. 1017. B, ib. l. c. *τάχα δὲ καὶ γινώσκεσθαι Ἰησοῦν εἶναι τὸν Χριστὸν διαφορά ἐστιν, οὐ παντὸς τοῦ γινώσκοντος ὁμοίως αὐτὸν γινώσκοντος.*

[8]) Cels. VI. 13. Cf. totum hoc cap. Cf. etiam adnot., quam scripsit Röhm (in versione germ. libri c. Cels. scripti, Kempten 1877.) ad Cels. VI. 13. p. 161: „Origenes versteht hier unter Weisheit eine philosophische Erkenntnis der Glaubenslehre, unter Wissenschaft (Gnosis) die Erkenntnis des verborgenen, geheimen und geistigen Sinnes der h. Schrift, unter Glauben ein einfaches Fürwahrhalten der Glaubenslehren und Glaubensthatsachen in dem Sinne, welchen der Wortlaut der Schrift nahelegt."

„ad intelligendam rerum intelligibilium naturam“ neque solum „in Dei invisibilibus consistunt, cum a rebus huius mundi creatis mentem erigunt; sed, postquam in iis se satis exercuerunt et illa intellexerunt, enituntur usque ad sempiternam eius virtutem, uno verbo ad eius divinitatem“; [1]) pervenerunt ad veritatem immediate cognoscendam, i. e. „magis intuitu mentis discitur quam sono vocis“. [2])

---

[1]) Cels. VII. 46.

[2]) In Levit. h. XIII. 1; in Joan. tom I. 22. XIII. 52; XX. 27; in Jos. h. XVII. 2; tres hos perfectionis et cognitionis status invenit Origenes in I. Cor. XII. 8, 9; cf. Cels. VI. 13: *ἡ θεία σοφία πρῶτόν ἐστι τῶν καλουμένων χαρισμάτων τοῦ Θεοῦ· καὶ μετ' ἐκείνην δεύτερον τοῖς ἀκριβοῦν τὰ τοιαῦτα ἐπισταμένοις ἡ καλουμένη γνῶσις· καὶ τρίτον, ἐπεὶ σώζεσθαι χρὴ καὶ τοὺς ἁπλουστέρους προσιόντας κατὰ δύναμιν τῇ θεοσεβείᾳ, ἡ πίστις . . διόπερ οὐ τοὺς τυχόντας εὕροις ἂν μετειληφότας τῆς θείας σοφίας, ἀλλὰ τοὺς ὑπερέχοντας καὶ διαφέροντας πάντων τῶν Χριστιανισμῷ προσεχόντων. οὐδὲ τοῖς ‚ἀπαιδευτοτάτοις ἢ ἀνδραπόδοις, ἢ ἀμαθεστάτοις‘ διέξεισί τις τὰ περὶ τῆς θείας σοφίας.* Cf. Redep. I. p. 336: „Auch Orig. unterschied den Standpunkt dessen, welcher gläubig dem Zeugnisse der Kirche beipflichtet, von der höhern Stufe des Geförderten. Allein wir finden bei ihm das Wort Pistis nicht mehr in dem zweifachen Sinne, in welchem es bei Clem. bald den Glauben im paulinischen Sinne, bald einen toten Autoritätsglauben bezeichnet. Origenes ist entschieden der paulinischen Auffassung zugewendet. Waren jetzt schon der Namenchristen so viele, und trat ihre Schlaffheit widrig hervor, so sprach Orig. unumwunden aus, was noch Clem. nicht sagen mochte, daß jenes tote Fürwahrhalten kein wahrer Glaube sei. Glaube, lehrt er, ist die Aufnahme des Geglaubten in das innere Herz (*κυρίως γὰρ πίστις ἐστὶ κατὰ τὸ βάπτισμα τοῦ ὅλῃ ψυχῇ παραδεχομένου τὸ πιστευόμενον*, in Joan. tom. X. 27). Deshalb kann man nicht ein Gläubiger sein und doch sündigen; ib. XX. 20. Es sind der Gegenstände des Glaubens sehr viele, der wahre Christ soll sie sämtlich anerkennen; nicht ohne Gefahr würde man einräumen, daß dies Glaube sei, wenn jemand von einigen christlichen Lehren eine feste, unerschütterliche Überzeugung hat, während er andere bisher nur schwach anerkennt;“ [cf. tom. in Joan. XXXII. 9. n. 428 sq.; XX. 24. n. 347, ubi res ad fidem explicitam spectantia enumerantur.] „Aus dem Glauben entwickelt sich nur in allmählicher Folge ein immer höheres Wissen, zunächst die Erkenntnis, aus dieser die Weisheit.“ Ib. p. 341. „Das höhere Wissen vollendet sich in einem geistigen Schauen der Wahrheit. Auf dieser Stufe vernimmt man den Logos selbst unmittelbar, schaut ihn selber und empfängt geistige Eindrücke von ihm, der auch ohne solche, die die Lehre überliefern, sich mitteilen kann.“ cet. Ibid. p. 344 adn. 2. Haec certe Origenis sententia Neoplatonicorum doctrinam sapit, qui *ἔκστασιν* tam perfectam animaeque tantam *ἅπλωσιν* et *ἐπίδοσιν* docebant, ut anima dimergeretur plane in divinam substantiam, itaque *ὥς κέντρον κέντρῳ συνάψας* cum ente absoluto coniuncta, luce illuminata supersensibili, veritatem omnem immediate intueretur. Cf. Haffner, l. c. p. 238 sq. Stöckl, Gesch. d. Ph. Bd. I. p. 204—206; supra p. 51. adnot. 9; de Clem. Al. cf. Winter l. c. p. 111—127;

Ut in cognoscenda veritate distinguit Origenes inter *πίστιν* et *γνῶσιν*, ita et in vita hominum similis fieri potest distinctio. Docent theologi duos praecipue esse status, in quibus exerceantur virtutes; secundum enim „diversa studia hominum intendentium in diversos fines“ distinguitur vita activa et contemplativa. Vita activa „exteriore operatione ad suum finem tendit; „finis vitae contemplativae est consideratio veritatis“. Uterque status speciales praecipue habet virtutes. [1]) Eadem est doctrina Adamantii.

Duae ad salutem tendunt semitae: actio et contemplatio. [2]) Itaque „ecclesia Dei contemplativis et activis animabus constat“. [3]) Praestantior harum via contemplativa putatur. Nam „qui contemplationi dediti sunt, *(οἱ μὲν θεωρητικοὶ)* in domo Dei sunt, qui autem actioni vacant, *(οἱ δὲ πρακτικοὶ)* in atriis domus Dei sunt“. [4]) „Postquam ingressi fuerimus per practicas virtutes, inveniamus portam scientiae, quae est eorum, quae facta sunt, contemplatio corporeorum et incorporeorum“. [5]) Habet utraque haec via sua merita: „hi qui contemplativam vitam amplectuntur *(τὸ θεωρητικὸν βίον ἀσπαζόμενοι)*, in coelo thesaurizant, et cum ibi cor habeant, coeli sunt, qui Dei gloriam enarrant per spiritalium rerum contemplationem“; „qui autem actricem vitam agunt *(οἱ πρακτικοί)*, opera Dei exercent, et ipsi eius opera exsistunt“. [6]) Deus ipse, quia invisibilis est, a nemine videri potest, sed tamen „qui contemplationi dediti sunt, possunt corde, i. e. animo contemplari, corde inquam non qualicumque sed puro; oportet purum esse, quod naturam adeo puram digne contemplari queat“; nimirum sit ipso contemplatu difficilis cognitio Dei *(μέγας ἐστὶ καὶ δυσθεώρητος ὁ Θεὸς)*, tamen haec est optima via cognitionis Dei. [7]) Habet sane utraque virtutis via inimicos et

---

Huber l. c. p. 137 sq.; Stöckl l. c. I. Bd. p. 249--251; Werner, System d. Eth. I. Bd. p. 42.

[1]) Thom. Aq. II. II. q. 181. a. 1; ib. q. 180. a. 2. Idem iam docuerat Aristoteles. Eth. Nic. X. 7. Cf. etiam Stöckl, Gesch. d. Ph. I. p. 140.

[2]) *τρίβοι δὲ ἀνθρώπων πρᾶξις καὶ θεωρία.* Sel. in Ps. XVII. 46; „actrices virtutes“ dicitur interdum, e. g. Sel. in Ps. XLVI. 6; ib. LXXXXIV. 11; in Joan. tom. II. 29.

[3]) *ἐκκλησία Θεοῦ ἀπὸ θεωρητικῶν καὶ πραγματικῶν συνεστῶσα ψυχῶν.* Sel. in Ps. CL. 5.

[4]) Sel. in Ps. CXXXIII. 1.

[5]) Ib. CXVII. 2.

[6]) Sel. in Ps. XVIII. 3; cf. Thomasius, l. c. p. 241 sq. Redep. I. 382 sq.

[7]) Cels. VI. 68.

impedimenta multa. Omnibus enim virtutibus inimici insidiantur: „In fortitudine timiditatis laqueum abscondunt, in mansuetudine audaciam iniciunt“, simili modo nos incitant, ut, si damus eleemosynas, non demus propter Deum, ieiunantes propter homines ieiunemus. „Atque haec quidem in activa vita *(ἐπὶ τῆς πρακτικῆς)*, in speculativa vero *(καὶ ἐπὶ τῆς θεωρίας)* quantos putandum est per haereses sanis dogmatibus inici laqueos“. [1]) Ita omnibus hominibus minime proclive et facile est iter, quo tenditur ad virtutes, [2]) et magnum adest periculum, ne eas, quas multo labore acquisierunt, per negligentiam et peccata amittant. [3]) Sed multa et difficilia possumus, cum divinum adiutorium nobis adsit, atque angeli et sancti nos ad facienda salutaria et bona opera adiuvent, quamvis simus natura debiles. [4])

Etiam in rebus externis atque in actionibus humanis gradus sunt inter ea, quae magis minusve perfecta sunt, maiorque perfectio potissimum in abstinendo a quibusdam bonis huius mundi cernitur [5]). Sicut distinguendus est cibus a condimentis, ita et in vita morali multa sunt tam gravia et essentialia, ut omnes ad ea tenenda sint obligati; alia minoris momenti sunt et, prout postulat necessitas vel utilitas, debent vel possunt omitti. „Sic in conversationibus nostris quaedam quidem sunt principalia et necessaria ad iustificationem animarum nostrarum, qualia sunt haec gravia legis: iudicium et misericordia et fides. Alia autem quasi condientia actus nostros et commendantia eos et suaviores eos facientia, ut puta abstinentia risus, ieiunium, flexio genuum, permansio in collectis, assiduitas communicationis et alia his si-

---

[1]) Sel. in Ps. CXXXXI. 4; h. in Exod. V. 3.

[2]) Ib. l. c.

[3]) Putabant multi gentium philosophi virtutem nullatenus amitti posse, ita praecipue Cleanthes; in Xenophontis Memorabilibus Socratis illud dicitur *οὐκ ἄν ποτε ὁ δίκαιος ἄδικος γένοιτο.* Cleanthem multi Stoici sequebantur; Seneca et Epictetus sapientem tantum dicunt habere virtutem, atque hanc virtutem porro inamissibilem esse. Ita etiam gnostici se dicebant esse virtute ornatos, quae numquam perderetur; catholicorum autem non esse veram hanc inamissibilem virtutem. Cf. Iren. adv. haer. I. 6. 2; I. 6. 4. Cf. infra de peccatis.

[4]) Sel. in Num.

[5]) Hunc certe statum perfectissime amplectuntur „ascetae“ *(ἀσκηταὶ)*: „Est enim saepe, qui cum sit ei liberum nubere sicque vitare molestiam insurgentis adversus spiritum carnis, eligit non abuti nubendi potestate sed affligi et tolerare, ieiuniis corpus domare, ipsum in servitutem redigere talium ciborum abstinentia et omni modo spiritu facta carnis mortificare.“ In Jerem. h. XIX. 7. n. 272. De Nazaraeis cf. infra p. 126. a. 2.

milia, quae non ipsa iustitiae sunt, sed conditurae iustitiarum habentur". [1]) Ieiunare bonum est, multisque rationibus christianis commendatur. „Est certe libertas christiano per omne tempus ieiunandi non observantiae superstitione, sed virtute continentiae. Nam quomodo apud eos castitas incorrupta servatur, nisi arctioribus continentiae fulta subsidiis? Quomodo Scripturis operam dabunt? Quomodo scientiae et sapientiae studebunt? Nonne per continentiam ventris et gutturis? Quomodo quis se ipsum castrat propter regnum coelorum, nisi ciborum affluentiam resecet, nisi abstinentia utatur ministra? Haec ergo christianis ieiunandi ratio est [2]): sed est et alia adhuc religiosa, cuius laus quorundam apostolorum litteris praedicatur: ‚Beatus est, qui etiam ieiunat pro eo, ut alat pauperem'. Huius ieiunium valde acceptum est apud Deum et revera digna satis. Imitatur enim eum, qui animam suam posuit pro fratribus suis". Hoc quidem ieiunium ab escis abstinet corporis, aliud autem ieiunium est, quod frenum dat cupiditatibus spiritus illoque est multo melius. „Vis tibi adhuc ostendam, quale te oporteat ieiunare ieiunium? Ieiuna ab omni peccato, nullum cibum sumas malitiae, nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriae concalescas. Ieiuna a malis actibus, abstine a malis sermonibus, contine a cogitationibus pessimis. Noli contingere panes furtivos perversae doctrinae. Non concupisces fallaces philosophorum cibos, qui te a veritate seducant. Tale ieiunium Deo placet. Abstinere vero a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et hoc facere cum his, qui Christum crucifixerunt, acceptum esse non potest Deo. Indignati sunt aliquando et Pharisaei Domino, cur non ieiunarent discipuli eius. Quibus ille respondit, quia non possunt filii sponsi ieiunare, quamdiu cum ipsis est sponsus. Illi ergo ieiunent, qui perdiderunt sponsum, nos, habentes nobiscum sponsum, ieiunare non possumus. Nec hoc tamen ideo dicimus, ut abstinentiae christianae frena laxemus; (habemus enim qua-

[1]) „Res autem spiritales, quae a semetipsis iustitiae sunt, dicuntur iudicium et misericordia et fides. Turpe est ergo in his minimis observare, quod est ‚decimare', rerum autem necessariarum observationes non offerre Deo." In Matth. Com. ser. 20.

[2]) Cf.: Pythagorici „animatis abstinent propter fabulam de migratione animae in varia corpora. Nos vero si quando abstinemus, id a nobis fit, ut castigetur corpus et in servitutem redigatur." Cels V. 49 Sanguinis esu abstinent christiani, ib. VIII. 30.

dragesimae dies ieiuniis consecratos, cet.) habemus quartam et sextam septimanae dies, quibus solemniter ieiunamus." [1])

De iure iurando hoc dicendum: „omne iuramentum colligatio est et confirmatio verbi, de quo iuratur". [2]) Deus ipse iureiurando usus est, ut immobilitatem consilii sui designaret. [3]) Sed nobis certe optimum est non iurare. „Etenim primo iurandum est in veritate et iudicio et iustitia, ut, posteaquam profecerit quis, dignus fiat non iurare omnino". [4]) Ratio autem admodum gravis adesse debet, ut liceat iurare; non tamen licet ex consuetudine *(ἔθει)*. Sciant enim christiani se „istiusmodi iuramento assumere Deum universi et Christum eius ad hocce negotium", quare res magna debet adesse, ut genua flectam et iurem. [5]) Si quis iuravit aliquid mali se facturum esse, haec iuramenta male praestita non sunt perficienda, [6]) imo peccatum est ita iurare; sed etiam is peccat, qui aliquid boni se facturum iurat et postea non facit. [7]) In vetere lege „adiurandi usum invenimus"; „existimo autem, quoniam non oportet, ut vir, qui vult secundum Evangelium vivere, adiuret alterum . . . Si enim iurare non licet, quantum ad Evangelicum Christi mandatum, verum est, quia nec adiurare alterum licet. Quaeret aliquis, si convenit vel daemones adiurare". Hoc tamen „non est secundum potestatem datam a Salvatore adiurare daemonia: Judaicum est enim". Habemus quidem potestatem adiurandi daemones, sed extra casum necessitatis non licet ea uti. Si tamen fit, „idoneis constitutis libris" utamur, [8]) et adiuremus „sine ullo inutili

[1]) In Lev. h. X. 2; Funck (Tuüb. Qartalschr. 1893. p. 179 sq. Über die Quadrages.) et Redep. l. c II. p. 428. a. 1. putant quadragesimae mentionem a Rufino adiunctam esse; editores de la Rue verba: „habemus quartam — ieiunamus" non putant aliena manu addita esse, cum utriusque diei ieiunium commemoretur in multis scriptis e. g. Can. apost. 61; Constitut. apost. V. 15. Tertull. de ieiuniis contra Psych. cet. — Quod ad festa celebranda spectat, Origenes Cels. VIII. 22. diem Dominicam, Parasceven, Pascha, Pentecosten nominat.

[2]) In Matth. com. ser. 18.

[3]) H. in Gen. IX. 1.

[4]) In Jerem. h. V. 12. Cf. Exh. ad mart. 7.

[5]) Ib. l. c.

[6]) In Levit. III. 4. Com. in Matth. tom. X. 22: *καὶ ἀποκεφαλίζεται ὁ προφήτης δι' ὅρκον, ἐφ' οἷς μᾶλλον ἐπιορκεῖν ἢ εὐορκεῖν ἔδει.*

[7]) In Levit. III. 4. Judaei iurabant „per templum", „per aurum templi", „per altare", „per donum altaris", (in Matth. Com. ser. 17.) pagani per fortunam aut genios Caesarum; iurare per fortunam hominis abominatio est. Exh. ad mart. 7.

[8]) In Matth. com. ser. 110. Exorcistae memorantur h. in Jes. Nav. XIV. 1.

magiae aut incantationis auxilio, sed solis precibus simplicibusque adiurationibus". [1])

Res, quae valde Deo placet, est votum, quo ad multa bona facienda nos arctius obstringimus; ita possumus vovere ‚orare', ‚psallere', ‚eleemosynas facere', ‚ieiunare'. Magis autem quam opus promissum ipsa voluntas prompta, qua promittitur, a Deo spectatur. „Venerabile ergo et sanctum facit omne votum hominis cor eius, ex quo votum Deo offertur. Ideo non potest honorabilius esse votum quam cor hominis, ex quo transmittitur votum." [2])

Aliud opus supererogatorium is praestat, qui libera voluntate et amore Dei paupertatem amplectitur, [3]) cum certe omnium non sit facultates et bona omnia relinquere et sequela tam perfecta Dominum imitari.

Christiano licet matrimonium inire. [4]) Mulierem autem omnino non tangere minime lege quidem praescribitur, tamen bene praestari potest, est enim donum Dei; [5]) atque ita eximiae puritatis amore, quo castius ad cultum divinum accederent, multi venereis voluptatibus etiam lege permissis abstinebant. [6]) Vita talis perpetuae castitati dedita meritissimo sacrificium indesinens Deo oblatum nominari potest, [7]) sacrificium quidem, quod „non ex debito solvitur", „neque per praeceptum expetitur, sed supra debitum offertur". [8]) Hoc qui-

---

[1]) *σὺν οὐδενὶ περιέργῳ καὶ μαγικῷ ἢ φαρμακευτικῷ πράγματι, ἀλλὰ μόνῃ εὐχῇ καὶ ὁρκώσεσιν ἁπλουστέραις, καὶ ὅσα ἂν δύναιτο προσάγειν ἁπλούστερος ἄνθρωπος.* Cels. VII. 4; in Jes. Nav. XXIV. 1.

[2]) In Matth. Com. ser. 18. Cf. infra p. 127. a. 3. Cf. etiam: „Alii vitulos aut arietes aut domos aut alia huiusmodi ratione carentia vota offerunt Deo. Ille vero, qui appellatur Nazaraeus, semetipsum devovit Deo. Hoc est enim votum Nazaraei, quod est super omne votum . . . quod qui facit, imitator est Christi." In Num. h. XXIV. 2. De ascetis cf. supra p 123. a. 5.

[3]) *τὸν ἑκουσίως πτωχεύσαντα.* Sel. in Ps. XL. 4. Cf. Cels. VII. 21—24. Com. in Matth. tom. XV. 16, 17, 18 sq. Ibid. de divitiarum periculis. Cf. Cels. VI. 16. De obligatione distribuendi pauperibus reditus ecclesiasticos deque prudentia hac in re adhibenda cf. in Matth. Com. ser. 61.

[4]) Cels. VIII. 55: cf. VII. 48.

[5]) Sel. in Gen. 37: *θεόδοτον γὰρ τὸ τοιοῦτον.* Cf. Com. in Matth. t. XIV. 25.

[6]) Cels. I. 26.

[7]) H. in Num. XXIII. 3. „Sine coniuge praestat esse, quam tali convivere." Exp. in Prov. XXI. 26.

[8]) „Ea vero, quae supra debitum facimus, non facimus ex praeceptis. V. c. virginitas non ex debito solvitur; neque enim per praeceptum expetitur

dem dubium non est, quin interdum etiam apud gentes praecipue sacerdotes sacerdotii causa castitati studuerint et castrati sint, sed, quae sit inter horum et christianorum castitatem distinctio, facile videto. Minime enim propter humanos honores, mercedes pecuniarias, non propter gloriolam colunt apud christianos perfectam virginitatem *(τὴν παντελῆ παρθενίαν)* cum virgines tum viri; et cum parvae certe sit virtutis, castratis genitalibus immunem ab omni in nobis inexistente libidine, castitatem servare: apud nos viri sunt, qui castratione vel cicuta non opus habent, ut pure Deo deserviant; [1]) atque ita apud nos castitas incorrupta servatur arctioribus tantum continentiae fulta subsidiis. [2]) Mulieri quidem „bonum est et primum, si qua potest virginitatis gratiam possidere. Si tamen hoc non poterit, sed evenerit ei, ut perdat virum, vidua perseveret. Quod quidem non solum post mortem viri, sed etiam, cum ille vivit, debet habere in animo, ut, etiamsi non venerit voluntas ipsius et propositum, a Domino coronetur et dicat: Hoc voveo atque promitto, si mihi humanum aliquid, quod non opto, contigerit, nihil aliud faciam, quam incontaminata viduaque perseverem“. Non enim laudandae sunt „secundae et tertiae et quartae nuptiae, ut de pluribus taceam“. [3])

---

sed supra debitum offertur.“ In ep. ad Rom. X. 14; cf. Redep. I. 212. adn.: „(Die Jungfräulichkeit) ist ein consilium apostolicum, und wer dasselbe erfüllt, thut mehr, als wer nur den praecepta nachkommt: hoc opus super praeceptum est. Vgl. auch h. in Jerem. XIX. 4, wo er es für einen Irrtum, aber für ein sehr heilsames Irren erklärt, selbst die einmalige Ehe, oder doch eine zweite, für verboten zu halten. Denn erlaubt ist auch diese. Com. in ep. ad Rom. VI. 7. n. 578, obschon die Ehelosigkeit nach Auflösung der ersten Verbindung um vieles besser ist, und eine dritte und vierte Ehe von den höhern Stufen der Seligkeit ausschließt.“ (H. in Luc. XVII. n. 954.) — Non tamen materialis abstinentia aliquid valet, sed intentio et caritas est, quae illi det verum valorem: *εἰσί τινες, οἱ διὰ τοῦτο ἀσκοῦντες ἁγνείαν καὶ τὴν καθαρότητα, καὶ ἄλλοι, οἱ διὰ τοῦτο ἀσκοῦσι τὴν μονογαμίαν, ἐπεὶ προσεδόκησαν ἀπόλλυσθαι τὸν συνουσιάσαντα γαμικῶς, ἀπόλλυσθαι τὸν διγαμήσαντα, κ. τ. λ.* in Jerem. XIX. 4 Cf Com. in Matth. tom. XIV. 25.

[1]) Cels. VII. 48. De castratione sui ipsius, quam quidam licitam esse putabant, cf. Com. in Matth. tom. XV. 1—6; de Orig. castratione M. 13. p. 1257. adnot. Schnitzer, l. c. Einleitung; Redep. l. c. Beilage.

[2]) H. in Lev. X. 2. Com. in Matth. tom. XIV. 22.

[3]) In Luc. h. XVII. n. 553; cf. adnot. ad hunc loc. et Redep. II. p. 428. adn. 6, qui hoc loco dubiam esse fidem s. Hieronymi versionis dicit. — Pluris certe perfectam abstinentiam aestimat Origenes oblitus interdum veri matri-

„Sicut enim ab ecclesiasticis dignitatibus, non solum fornicatio, sed et nuptiae repellunt, neque enim episcopus nec presbyter nec diaconus nec vidua possunt esse digami, sic forsitan et de coetu primitivorum immaculatorumque Ecclesiae, quae non habet maculam neque rugam, eicietur digamus, non quo in aeternum mittatur incendium, sed quo partem non habeat in regno Dei". Atque certe „puto monogamum et virginem et eum, qui in castimonia perseverat, esse de Ecclesia Dei, eum vero, qui sit digamus, licet bonam habeat conversationem et ceteris virtutibus polleat, tamen non esse de Ecclesia Dei, sed esse de secundo gradu et de his, qui invocant nomen Domini, et qui salvantur quidem in nomine Jesu Christi, nequaquam tamen coronantur ab eo". [1])

Christianis invisa sunt bella et militia. Ne quis a nobis postulet, „ut arma publicae utilitatis causa sumamus et homines trucidemus"; christiani „aliis bellum gerentibus militant, ut Dei sacerdotes et ministri, intaminatas quidem servantes manus, decertantes vero fusis ad Deum precibus pro iis, qui iuste bellige-

monii valoris. Dicit scriptor coniugibus saepe expedire posse actibus coniungalibus abstinere. „Ipsa tamen abstinentiae ratio diversa est pro voto et proposito voventis"; alius enim vovit se velle exigere „omnem diem, hoc est continuum vitae suae tempus in abstinentia". „Alius vero tempus aliquod velut votiva professione decernit. In quo sive iugem sive ut temporalem suscipiat continentiam, uniuscuiusque sensibus dat liberam facultatem" Deus. In ep. ad Rom. IX. 38. Cf. tamen: „Is, qui uxore abstinet, efficit saepe, ut adulterium committat, cum eius libidinem non explet, etiamsi maioris sanctimoniae vel castitatis specie ductus id faciat." cet. Com. in Matth. tom. XIV. 24. De uxore repudianda ob peccatum fornicationis commissum cf. ib. l. c. „Contra Scripturae legem mulieri vivente viro nubere quidam ecclesiae rectores permiserunt." Ib. XIV. 23.

[1]) In Levit. XVII. n. 953; supra p. 57. Cf. in Gen. III. 6: „Membrum hoc, in quo praeputium videtur esse, officiis naturalibus coitus et generationis deservire nemo est, qui dubitet. Si quis igitur erga huiuscemodi motus non importunus exsistat, nec statutos legibus terminos superet, nec aliam feminam quam coniugem legitimam noverit, et in ea quoque ipsa posteritatis tantummodo causa certis et legitimis temporibus agat, iste circumcisus praeputio carnis suae dicendus est." [Cf. in Gen. h. l. 17 B. supra p. 75. adn.] Idem dicit Clemens Al. Strom. VI. p. 790; IV. p. 631; quis div. salv. 874. Similia docet pluribus locis August. sermo 51 de concord. Matth. et Luc. n. 22: „numquid hoc non est peccatum, amplius quam liberorum procreandorum necessitas cogit, exigere a coniuge debitum? Est quidem peccatum sed veniale". Idem de bono coniugali, c. VI. et X; cf. adnot. Huetii in Orig. M. 12. p. 180.

rantur, et pro eo, qui iuste regnat, ut, quidquid contrarium et inimicum est iuste facientibus, profligetur", itaque „quo quis magis pietate praestat, eo validius auxilium regibus fert plusque facit quam euntes in aciem milites, qui hostes, quotquot possunt, interficiunt". [1])

Non licet seditiones movere *(στάσεως ἔργον)*, et legislator Christianorum prohibuit „omnino ullam hominis occisionem" *(ὁ νομοθέτης χριστιανῶν πάντη ἀναίρεσιν ἀνθρώπου ἀπηγόρευε)* et docuit „vim homini nunquam iuste a suis discipulis inferri posse quamvis iniustissimo, indecorum enim putabat divinis suis legibus permitti caedem hominis, qualiscumque tandem illa essent". Imo Christianorum leges tunt tam pacificae, „ut propter eas factum fuerit, ut veluti oves interficerentur, nec per eas liceret de persecutoribus sumere supplicium". [2])

„Patriae magis prosunt christiani quam reliqui homines. Suos enim cives erudiunt, pietatem in universorum Deum docent, et in divinam quandam ac coelestem civitatem evehunt eos, qui in minimis istis civitatibus recte vivunt". „Sed nos qui scimus in singulis civitatibus aliam esse patriam, a Verbo Dei constitutam, eos, ut ecclesiam regant, hortamur, qui potentes sermone, et quorum mores sani sunt. Qui dignitates amant, eos repudiamus, cogimus vero illos, qui prae multa modestia communem ecclesiae Dei curam in se facile recipere nolunt". „Quod si qui in ecclesia praesunt, hoc est ecclesiae vocati antistites, illi, quae secundum Deum est, patriae recte praesunt, aut ex praescriptis a Deo legibus praesunt, propterea illi nullo modo ab humanis contaminantur legibus. Neque enim ea causa christiani magistratus *(τὰς κοινοτέρας τοῦ βίου λειτουργίας)* recusant, quod publica vitae munia refugiant, sed quod se diviniori et magis necessario ecclesiae ministerio ad hominum salutem reservent. Necessarium simul et iustum hoc ministerium est; omnium curam gerunt; eorum quidem, qui sunt intus, ut in dies melius vivant, eorum vero, qui sunt extra, ut loquan-

[1]) Cels. VIII. 73, 74; V. 33; cf, adn. in hunc. loc. M. 11. p. 1627. Regibus tributum *(φόρος)* dare debemus; Christus enim pharisaeos docuit „Caesari, quae sua forent, poscenti reddenda esse neque pietatis specie hunc iis esse fraudandum". Com. in Matth. tom. XVII. 26. — Cf. in Num. h. XI. 2: „decet et utile est etiam sacerdotibus Evangelii offerri primitias". cet.

[2]) Cels. III. 7. Cf. supra p. 87. adn. 6.

tur et faciant, quae pietate digna sunt et summo Deo consocientur". [1]

Nonnullae sunt res, quae multis quidem hominibus valde placent, tamen a nobis omnibus vitandae sunt. „Concalescis in spectaculis circi, concalescis in equorum contentionibus, in certamine athletarum". [2] Sed quam indignum est Christianis, „si post ecclesiam rursum in circum et ad equorum cursus et ad conventum gentilium eamus". [3] Idem dicendum est de theatro; ibi enim „vulgari praemio in scena et orchestro decertant, et modo dolorem et miserationem spectatoribus ingenerant, modo, id quod captant satyrica dramata, ad risus inhonestos excitant". [4]

[1] Cels. VIII. 75. Causa certe rationabilis est, cur dicat Origenes licere christianis magistratus recusare. Non omnino adversarium muneribus suscipiendis publicis se ostendit, sed quia ecclesia opus habebat viris optimis et prudentissimis, recte eos ecclesiasticis officiis reservari debere existimat. Cf. de his omnibus Cels. VIII. 73—75.

[2] In Levit. h. IX. 9.

[3] In Isaiam h. VIII. 2.

[4] Cels. VII. 6. Cf. in Jerem. h. XXXIX. 7. Similiter etiam Plato non vult esse poetas in re publica cet. Cf. Cic. Attic. VII. 12. Cels. IV. 36.

VII. De virtute.

Propriam virtutis definitionem apud Origenem non invenimus; ex omnibus tamen, quae scripsit, satis cognoscitur eum non putare virtutem actum vel actionem singularem, sed habitum *(ἕξις)* iteratis actibus bonis formatum. Hoc etiam eo confirmatur, quod praecipue in iis, quae scripsit de virtutibus, multa communia cum antiquis philosophis habet, qui quidem illo modo virtutem definiebant. [1])

Vox quidem illa virtutis dupliciter sumi potest; significat enim cum singulas virtutes, tum habitum bonum, qui honestatem totam amplectitur.

Ponamus ergo in tractanda re hoc primum: esse virtutem unam, id est eandem in omnibus naturis rationabilibus et beatis, eandem etiam homini cum Deo. [2]) Non autem hoc plane eodem sensu, quo docuerunt gentiles philosophi, ab Origene scriptum est. [3]) Stoici, quorum doctrinam amplexus est Cicero, [4])

---

[1]) Virtus est „effectus", habitus vel qualitas animi, non autem „potest subsistere". „Neque enim in ullo potest subsistere iniustitia vel iustitia, sed sicut iustitia effectus est iusti rectique operis, qui primo in Deo, tum etiam in his, qui imitantur eum, invenitur: ita et iniustitia effectus est iniusti pravique operis, qui primo in diabolo, tum etiam in his, qui eum volunt imitari, deprehenditur." In ep. ad Rom. III. 1: M. 14. p. 925; cf. supra de malo p. 71. et infra p. 137. a. 6. Aug. de mor. eccl. I. 6: „non placet vocare virtutem, nisi habitum ipsum, et quasi sapientis animae qualitatem". Thom. Aq. II. I. q. 58. a. 3. „Die Tugend ist das an sich selbst Gute, sie ist darum nicht ein Produkt der Natur, gehört nicht dem natürlichen Werden und Können an; sie ist eine nur durch eigenes Wollen und Bemühen hervorgebrachte Beschaffenheit, ein Zustand der Seele;" *ἕξις*, uti dicit Aristoteles, *διάθεσις*, ut Stoici dicunt. Winter. l. c. p. 128.

[2]) *καθ' ἡμᾶς γὰρ ἡ αὐτὴ ἀρετή ἐστιν τῶν μακαρίων πάντων ὥστε καὶ αὐτὴ ἀρετὴ ἀνθρώπου καὶ Θεοῦ.* Cels. IV. 29.

[3]) Cf. etiam Clem. Al. Strom. VII.

[4]) Cic. de leg. I. 8: „iam vero virtus eadem in homine ac Deo est, ne-

docebant plane esse eandem virtutem in diis et hominibus. Hoc quidem non alienum est a religione gentilium philosophorum, quorum dii ab hominibus nihil differebant nisi maiore potentia atque perfectione. Et sicut gentium dii iisdem vitiis et infirmitatibus subiecti erant, quibus homines, ita etiam esse iis easdem virtutes philosophi consequenter docuerunt. Plane tamen alius est sensus in doctrina philosophi christiani. Iure quidem dicere potest esse unam atque eandem virtutem in Deo et hominibus, quia in Deo omnes virtutes, in quantum ad perfectionem divinae essentiae conferunt, summa in perfectione inveniuntur, et ex earum imitatione virtutem nanciscuntur homines; quare eadem est hominum atque Dei virtus secundum genus tantum et etiam hoc non secundum quantitatem, sed qualitatem. Haec interpretatio maxime congruit cum iis, quae docet de participatione hominis cum Deo per verbum divinum, itaque consequenter Origenes omnes virtutes ad Christum confert ab eoque deducit. Christus est virtutum princeps; [1]) est universa animata et vivens virtus; [2]) ergo „sequuntur seipsas alterutrum virtutes, quae sunt substantia Christus, ita ut, qui unam habuerit, habeat omnes, et qui unam minus habuerit, habeat nec unam.“ [3]) Finis rationalis naturae cum sit vivificari in Christo, [4]) uti dicit apostolus, cumque in Christo perfectissime iunctae sint omnes virtutes, ipse nobis est velut fons quidam perennis, ex quo haurimus et cuius participatione omnium virtutum bonis exornamur. [5]) Christus est etiam solus et verus virtutis

---

que ullo alio ingenio praeterea. Est autem virtus nihil aliud, quam in se perfecta et ad summum perducta natura. Est igitur homini cum Deo similitudo“. Cf. ib. I. 7. Postea etiam Herbart et Fichte docuerunt esse unam virtutem. Cf. Cathrein, l. c. I. p. 268. Neque Plato, qui ex quatuor virtutibus cardinalibus omnes alias tam varias virtutes deducit, neque Aristoteles, qui magis quam Plato, quam intime necterentur virtutes, intelligebat, veram virtutum unitatem inter se cognovit. Christiana doctrina docet unam esse virtutem; unam debere esse, quia finis noster sit ultimus unus, quia omnes virtutes ex uno principio effluant, gratia sc. sanctificante, quia universa lex moralis sit una. Suo tamen iure Platonem sequitur theologus, in quantum ex quattuor virtutibus cardinalibus alias derivat, virtutum unitate non neglecta.

[1]) H. in Num. XIII. 4.

[2]) Κύριος ἡ πᾶσα ἔμψυχος καὶ ζῶσα ἀρετή. Com. in Joan. tom. XXXII. 7.

[3]) Com. in Matth. 63.

[4]) Sel. in Ps. IV. 1.

[5]) „Cum Christus sit iustitia, iustus particeps est iustitiae, i. e. Christi.“ Sel. in Ps. IV. 1. „Et sicut participatione sapientiae eius sapientes, ita et

magister; sanum enim est hoc dogma, „quod verus virtutis magister homo non esse potest; non alius est praeter Deum". [1]) A Christo cum tantum pendeamus, anima nostra, ut ita dicam, „in consortium Verbi divini adscita est et matrimonio eius quodammodo sociata". Est ergo Verbum „sponsus et vir animae mundae et pudicae". Et ex hac coniunctione animae cum Verbo Dei oriuntur omnes virtutes: „inde nascetur generosa progenies, inde pudicitia orietur, inde iustitia, inde patientia, inde mansuetudo et caritas, atque omnium virtutum proles veneranda succedet". [2]) Hac virtutum adeptione etiam imago Dei in nobis perficitur; „manifeste divinae imaginis cognoscuntur indicia non per effigiem corporis, quae corrumpitur, sed per animi prudentiam, per iustitiam, per moderationem, per virtutem, per sapientiam, per disciplinam, per omnem denique virtutum chorum, quae, cum Deo insint per substantiam, in homine possunt esse per industriam et imitationem Dei. Unde evidenter ostenditur, quod in Deo quidem hae omnes virtutes semper sunt nec unquam accedere possunt aut recedere, ab hominibus vero paulatim et singulae quaeque concipiuntur. Unde etiam consanguinitatem quandam per haec habere videntur ad Deum". [3]) Itaque si perfecte hanc imaginem in nobis exprimere volumus, cum sint in Deo omnes virtutes, non nonnullis tantum, sed omnibus

---

participatione patientiae eius patientes efficimur. Est ergo velut fons quidam perennis, ex quo haurire possumus et patientiam et iustitiam et sapientiam et omnia, quae sunt virtutum bona." In Ps. XXXVI. h. II. 4. „Quilibet autem sapiens, quatenus sapientiam capit, fit Christi, in quantum est sapientia, particeps." Com. in Joan. tom. II. 29; Cels. VI. 44.

[1]) ἀληθινὸς διδάσκαλος ἀρετῆς οὐ δύναται εἶναι ἄνθρωπος . . . οὐκ ἄλλος ἐστὶν ἢ Θεός. „docet autem Deus discipuli sui animam illustrando et vero lumine, verbo sc. suo, mentem illuminando. Equidem licet homines iusti, docendi gratiam consecuti, nos erudiunt, Deus tamen est, qui per eos nos instituit, imo et illud divina gratia fit, ut intelligamus, et ad divinarum doctrinarum receptionem corda aperiamus." Sel. in Job. c. XXII. vers. 2.

[2]) Quare adulterium est et „generalis illa fornicatio exsecrabilis", quod anima „ad tale consortium Verbi Dei adscita" ab „ullo alieno sc. et adversario illius viri, qui eam sibi despondit in fide, corrumpitur et violatur". Hanc ob rem talis fornicatio spiritalis peior est, quam carnalis, cf. ea, quae sequuntur. H. in Num. XX. 2.

[3]) Pr. IV. 37. Virtutes cum omnes deduci videamus a Deo, quid hoc sit, cognoscere possumus: ἦν, ὅτε οὐκ ἦν κακία, καὶ ἔσται, ὅτε οὐκ ἔσται. οὐκ ἦν δὲ, ὅτε οὐκ ἦν ἀρετὴ, οὐδὲ ἔσται, ὅτε οὐκ ἔσται. Ἀνεξάλειπτα γὰρ τὰ σπέρματα τῆς ἀρετῆς.

virtutibus studere debemus. [1]) Et sic vere „magna gens est virtutum numerus et iustitiae multitudo, in qua sancti quique multiplicari dicuntur et crescere“. [2])

Haec si tenes, quia omnes virtutes sunt ex imitatione Dei, qui sola est norma omnis moralitatis, facile intellegi potest, quomodo una omnino virtus appellatur. Matrimonii enim vinculo iuncti sumus cum Verbo divino, et omnes virtutes ex hac divina unione nascuntur. Sicut autem operibus bonis magis unitur anima nostra cum eo, „qui eam sibi despondit“, ita fornicatio est, si deficimus a Logo, i. e. si contra quamcunque virtutem peccamus. Unum ergo est virtutis principium, unum est studium perfectionis, unus amor virtutum Dei, et si per unam „fornicationem“ contra ullam virtutem peccatur, haec unitas et hoc divinum vinculum virtutis dissolvitur. Non ergo omnino falsa sunt, quae dicit Origenes: „Ut sicut unam eandemque nequitiam malitiae et iniustitiae dicimus, ita bonitatis ac iustitiae virtutem unam eandemque teneamus“. [3]) Atque „quidam iustum esse Deum volunt, sed non bonum, stulte id quidem et impie, quia iustitiam a bonitate separant“ et putant fieri posse, ut quis „iustitiam habeat sine bonitate et bonitatem sine iustitia“. [4])

Virtus ut habeat suum verum valorem, debet esse libera et voluntaria. „Potest enim esse quidem in homine, quae videatur patientia, sed quae rationabilis non est. Nam et qui non sentit iniuriam et propterea non reddit, patiens videtur, sed non est rationabilis ista patientia“; [5]) debet ergo esse voluntaria patientia, si nominari vult virtus. Idem dicendum de aliis virtutibus: si non adest libertas, numquam est virtus; dicit enim auctor esse „virtutem natura usque adeo liberam, ut sublata libertate ipsa e medio tollatur“. [6]) Sicut enim „nemini Deus bonum vult quasi necessitate fieri, sed voluntate“, ita etiam sibi nihil vult necessitate coactum offerri, sed unusquisque libere et voluntarie sit virtutis amans. [7])

---

[1]) Com. in Joan. tom. XXXII. 9; [ib. enumerata invenies, quae quisque necessitate absoluta credenda habet.] h. in Judices I. 3.

[2]) H. in Gen. XV. 6.

[3]) Pr. II. 5. 2; secundum ea, quae, ut postea videbimus, de diversis gradibus et qualitatibus peccatorum docuit Origenes, hoc primum non iam plane tenendum.

[4]) Com. in Exod. ex Philocal. c. 26.

[5]) H. in Exod. IX. 4.

[6]) ὅτι ἀρετῆς μὲν ἐὰν ἀνέλῃς τὸ ἑκούσιον, ἀνεῖλες αὐτῆς καὶ τὴν οὐσίαν. Cels. IV. 3.

[7]) De orat. 29.

Similiter omni voluntatis intentione opus est, ut virtutes teneamus; multa enim sunt, quae illis adversentur. Itaque iure „virtutes viae durae appellantur, eo quod sudore multo et labore perficiuntur". Multa ex ipsa nostrae naturae constitutione virtutis impedimenta oriuntur. Sunt enim in nobis multae fragilitates et passiones, et his multis occasionibus et vitiis impedimur, vel metu et terrore, aut cupiditate aut iactantia, aliisque horum similibus, quominus faciamus magnos in virtutibus progressus. [2]) Quis etiam hoc dubitabit, quin anima nostra Verbo Dei sociata statim multos habitura sit inimicos, et quos antea habuerit amicos, vitia nempe et mali habitus, in adversarios se vertant; hisque certissime mali spiritus se iungunt, qui spiritalibus nequitiis adversus nos pugnant. [3]) Itaque „frequenter accidit, ut aliquis, in opere spiritali multum desudans, fructus quam plurimos fecerit et repleverit horrea sua iustitiae frugibus, et multa bona opera recondiderit in conscientiae suae conclavi, postea vero si negligat et post laborem proclivius ad voluptates et luxurias vergat, omnia ei bonorum semina, fructus sancti operis, dominante libidine corrumpuntur. Cum enim subintroierit peccatum et captivaverit hominis sensum, ut iam non respiciat ad mandata Dei, nec arduam virtutis viam libenter ascendat, depereunt omnia, quae prius fuerant in horreo conscientiae congregata". „Custodiendum est igitur cor ab omni peccato". Licet homo per multos annos fidelem virtutis sectatorem se praestiterit multaque sibi pepererit virtutis et gratiae merita, „iste condita omnia evacuavit, ex omnibus facultatibus suis nudus repente et inanis effectus est, quia diu quaesitus, et multo vix labore collectus, subito omnis effusus est labor". [4]) Haec quidem cum valde tristia sint, ad magnam nos

---

[1]) Sel. in Ps. LIX. 6

[2]) H. in Num. XVI. 3. Apparet has esse malas affectiones et passiones, de quibus hoc loco loquitur Origenes, itaque suo iure dicere potest Deum esse sine ullo affectu et sine ulla passione (uti ait hoc loco), quod quidem a multis aliter interpretantibus saepe crimini vertitur auctori, etsi linguam Origenis saepe esse Stoicorum concedi debet.

[3]) H. in Jes. Nav. XI. 2. „Adversus singulas virtutes militant aut carnis prudentia, aut pleraque extranea." cet. Exh. ad mart. 5; Cels. VIII. 54. Uti per unamquamque virtutem vitia huic contraria expelluntur ex anima nostra, ita etiam contra unamquamque virtutem vitia contraria pugnant, contra iustitiam iniquitas, contra temperantiam luxuria, contra amorem odium; cet. Exp. in Proverb. XVII. 51, cf. 56. Cf. p. 136. a. 1.

[4]) H. in Judices. VII. 2; haec sunt, quae nos opera mortificata nominamus, cf. infra de peccatis.

vigilantiam excitant; ceterum non solum ex his, quae per peccatum perduntur, sed etiam ex turpitudine vitii ipsius virtutis verus valor et decor apparet.

Virtus enim, „non habens aliquid contrarium, non clasceret nec splendidior et examinatior fieret. Non probata vero neque examinata virtus nec virtus est“. [1]) „Vis autem scire, quod, quae bona sunt, bona esse ex deteriorum magis comparatione noscuntur? Quis sciret bonam esse lucem, nisi noctis tenebras sentiremus“? [2]) Habet etiam quaelibet virtus „proprium bonum odorem“, (nimirum „non odorem sensilem“) „qui complementum est virtutum; econtrario vitia male olent“. [3]) Virtus renovat, inveterat malitia. [4]) Virtute speciem, qua ex initio a Deo facti sumus, recuperamus, virtutum redintegratione pulchritudinem prioris formae recipimus; atque, qui ad hoc pervenit, „tunc iam potest vota offerre Deo, et tunc iam non homo solum, sed ‚homo homo‘ dicetur“. [5]) Et ita in eo statu perfectionis sumus, ut frangatur in nobis virtus illa pessima spirituum malignorum. [6])

Generatim virtutes apud theologos dividuntur in virtutes naturales et supernaturales, cum omnes fere philosophi aliam vir-

---

[1]) H. in Num. XIV. 2; virtus enim et vitium plane ad invicem sibi sunt contraria; „ubi enim iracundia est, nullatenus mansuetudo“, et ubi „mansuetudo, nullatenus iracundia invenitur“. Excerpt. in Ps. XXXVI. 11. Cf. p. 135. a. 3.

[2]) „Ipsum denique diabolum et obluctantes adversus nos contrarias potestates si auferas, virtutes animi sine obluctante non potuerunt enitescere.“ H. in Num. IX. 1.

[3]) Sel. in Gen. 40. „Peccatum res est fetida.“ H. in Gen. XI. 1.

[4]) *ἡ μέν ἀρετὴ ἀνακαινοῖ, ἡ δὲ κακία παλαιοῖ.* Sel. in Ps. XVII. vers. 36; cf. h. in Num. XX. 1. Cf. Platonis perpulchrum illud dictum de Republ. IV: *ἀρετὴ μὲν ἄρα, ὡς ἔοικεν, ὑγίειά τέ τις ἂν εἴη καὶ κάλλος καὶ εὐεξία ψυχῆς, κακία τε νόσος τε καὶ αἶσχος καὶ ἀσθένεια.*

[5]) Qui vero interiorem hominem neglegit neque animam virtutibus ornat, „hic non potest homo homo dici, sed homo tantum et homo animalis; quia ille interior, cui verius et nobilius homo nomen est, sopitus in carnalibus vitiis et mundi huius curis ac sollicitudinibus obrutus, ita ut in eo nec nominis eius haberi possit appellatio . . Non enim extrinsecus aliunde quaerenda sunt, sed intra nos est salutis occasio; intra nos namque est conversionis facultas“. H. in Num. XXIV. 2. „Qui facit opera rectoris tenebrarum, portat imaginem eius, cuius habet opera, quam praecepit Jesus esse reddendam et proiciendam de vultu nostro, assumendamque eam imaginem, iuxta quam a principio ad similitudinem Dei conditi sumus“. H. in Luc. XXXIX.

[6]) Exp. in Prov. III. 25; cf. h. in Gen. XII. 3.

tutem nesciant, nisi naturalem.[1] Adamantius recte cognovit distinctionem aliquam inter virtutes acquisitas seu naturales, atque virtutes infusas et supernaturales. Itaque primum quidem esse naturales et acquisitas virtutes satis atque saepe docet Origenes; et in gentibus, uti dicit, multi talibus virtutibus praediti inveniuntur. Sunt enim „nonnulli gentium compositis moribus et honeste institutis, qui tamen hoc ipsum, quod habent, non ad Deum referunt, nec ab ipso sibi datam gratiam confitentur, sed aut propriae industriae adscribunt, aut super magistris et institutoribus gloriantur“.[2] Item „pro temperantia videbuntur multi etiam a Dei partibus alieni decertasse, nonnullique mortem fortiter obire maluisse, quam communem dominum (i. e. civitatis rectorem) deserere, item prudentiae operam dedisse ac iustitiae se tradidisse“.[3] Attamen, si quis „perfectus fuerit in castitate aut in iustitia aut in veritate aut pietate, non fuerit autem ei aut castitas aut virtus aut pietas, quae venit ex gratia Dei, in nihilum reputetur huiusmodi homo“.[4] Itaque hae omnes virtutes minime sufficere possunt ad obtinendum finem supernaturalem. Haec enim „opera bona, quae fiunt ab infidelibus, in hoc saeculo iis prosunt, non et in illo ad consequendam vitam aeternam; et convenienter, quia nec illi propter Deum faciunt, sed propter ipsam naturam humanam. Qui autem propter Deum faciunt,

---

[1]) Habemus in Cicerone (de leg. I. 8.) Stoicorum virtutis definitionem: „est autem virtus nihil aliud quam in se perfecta et ad summum perducta natura“; et ipse Cicero dicit omnia quidem huius vitae bona „et externas commoditates a diis“ nos habere, „virtutem autem nemo umquam acceptam deo retulit“. „Nimirum recte, propter virtutem enim iure laudamur, et in virtute recte gloriamur, quod non contingeret, si id donum a Deo, non a nobis haberemus. Num quis, quod bonus vir esset, gratias diis egit umquam? At quod dives, quod honoratus, quod incolumis“, cet. de nat. deor. III. 36. Consequenter ergo etiam Cicero de invent. 53. potest virtutem definire: „virtus est animi habitus naturae modo, rationi consentaneus; quam ob rem omnibus eius partibus cognitis, tota vis erit simplicis honestatis considerata“. — Notum quidem est Biantis illud: „si quid boni feceris, auctores puta Deos, non autem te ipsum huius esse auctorem“; et Pythagoraeorum virtutem esse Dei donum, et Platonis, qui *θεία μοίρα παραγιγνομένην* virtutem appellat, veram tamen virtutis supernaturalis atque infusae definitionem philosophi invenire non poterant.

[2]) „Nobis autem ostendit apostolus omnia bona debere venire a Deo.“ Com. in ep. ad Rom. IX. 24.

[3]) Exh. ad mart. 5.

[4]) Com. ser. in Matth. 69.

i. e. fideles, non solum in hoc saeculo proficit eis, sed in illo, magis autem in illo". [1]) Naturales igitur talium virtutum effectus et merita iis praemia illi quidem accipiunt, attamen ad vitam aeternam non perveniunt. [2]) Sequitur autem, ut sit virtus vere fini nostro concordans, requiri, ut proveniat ex gratia Dei et exerceatur pro Deo ac propter Deum. Et quia Origenes etiam sacramentum baptismi necessario postulat susceptum, sequitur, ut noverit et postulet renovationem et elevationem quandam per hoc sacramentum in anima exortam, ex qua virtutes provenire debent, si ad vitam aeternam pertinere velint. [3]) Quare, cum omnes gentium virtutes in oculis Dei non sufficiant, sola fidelium est vera virtus; „haec est illa virtus, quae a Deo docetur, quae per Scripturas discitur, quae per fidem evangelicam et apostolicam traditur". [4]) Minime vero virtus christiana a natura hominis aliena eique contraria est; immo virtus naturalis interdum quasi imago et praeparatio illius describitur. Dicit enim scriptor Deum animae nostrae „iccirco cum ceteris virtutibus etiam affectum caritatis" inseruisse, ut diligat Deum et ea, quae Deus velit. Qua caritate Deum et proximum diligendos esse; quod si non fiat, caritatem esse „fictam et simulatam". Sine

---

[1]) Ib. l. c.

[2]) In ep. ad Rom. II. 7: „Potest enim fieri, ut vel ex his, qui in lege sunt, si quis persuasione quidem communi Christo non credit, operetur tamen, quod bonum est . . . hic etiam si vitam aeternam non habet, tamen gloria operum eius et pax et honor poterit non perire." Ita Graecus i. e. gentilis naturae legem sequens, „et naturali ratione inmotus, . . . ipse licet alienus a vita aeterna videatur, quia non credit Christo, et intrare non potest in regnum coelorum, quia renatus non est ex aqua et spiritu sancto, videtur tamen, quod per haec, quae dicuntur ab apostolo, bonorum operum gloriam et honorem et pacem perdere penitus non possit". Sel. in Ps. XXXVI. 16: „melior est modica sapientia spiritalis, quam multa sapientia gentilium". De salute infidelium (quae quidem in systemate Origenis, qui *ἀποκατάστασιν τῶν πάντων* docet, parvi momenti est,) quid auctor crediderit, cf. quae ubique dicuntur in Com. in ep. ad Rom.; cf. etiam supra p. 106. adn. 2.

[3]) *εἰσὶ γὰρ ἐν τῇ ψυχῇ μόνῳ τῷ καρδίας βλέποντι χαρακτῆρες φανεροὶ δούλων Θεοῦ καὶ υἱῶν αὐτοῦ.* De orat. 16. Fortasse, quae hic dicuntur, etiam ad characterem sacramenti baptismi indelebilem pertinent. — Esse virtutem habitum *(ἕξιν)* sequitur ex supra p. 130. a. 1. Cf. h. in Gen. I. 4: „isti enim sunt seminis illius fructus, actus nostri, qui ex bono cordis nostri thesauro proferuntur"; item Sel. in Ps. CXLIII. 15: „iustorum beatitudo est animae status perturbationum expers et cognitioni Dei coniunctus"; esse supernaturalem habitum, cf. supra p. 106. adn. 2.

[4]) H. in Num. I. 2.

ulla dubitatione hoc loco agitur de caritatis indole et affectu naturali, quam „creator animae Deus“ „in animam dederit“. Sed hoc non repugnat, quominus credamus Origenem cognoscere etiam caritatem supernaturaliter cordibus nostris infusam. Dicit enim esse etiam caritatem, quae „diffunditur in cordibus nostris pro eo, quod non humana a nobis arte acquiritur, sed per gratiam sancti Spiritus infunditur“. [1]) In eodem capitulo (in ep. ad Rom. IV. 9) duas sapientiae species enumerat Alexandrinus, quarum altera certissime naturalibus viribus acquisita, altera supernaturalis esse videtur. „Numquid non sapientia ad virtutes animae spectat? Et cur culpabile ducitur in sapientia gloriari“? Certe tamen, „qui in sua, non in Dei sapientia gloriatur, culpabiliter gloriatur“. Dei enim „sapientia est Deum cognoscere et intelligere misericordiam eius et iudicium et iustitiam, quam fecit super terram, in quo qui gloriatur, in Domino gloriatur“; „humana vero sapientia non potest scire et intelligere Deum, neque agnoscere iudicia et misericordiam et iustitiam eius, quam fecit super terram, et ideo indifferens est et media“. Potest tamen fieri, ut „ex hac humana sapientia eruditus quis ad intelligentiam divinae sapientiae paratior veniat et in hac exercitatus ad illam capacior fiat“. [2]) Constat ergo nosse Origenem virtutes naturales humano labore acquisitas et virtutes fidelium supernaturales; nosse eum etiam has supernaturales virtutes gratia Dei cordibus nostris infusas esse; nosse eum porro (ut infra fusius exponemus,) virtutes supernaturales ecclesiae sacramentis fidelibus infundi.

Cum nostri moris sit, ut tractemus de virtutibus theologicis et cardinalibus, hac methodo utamur etiam in Origenis doctrina explicanda. Quod quidem ad theologicas virtutes attinet, illum quidem saepius invenimus disserentem de „divinis virtutibus“; attamen alio hoc sensu intelligit. Nomen autem „theologicarum

---

[1]) Cf. de his in ep. ad Rom. IX. 4; in cant. cant. II. 8, in cant. cant. h. II. 9. — „Die Liebe wird uns eingegossen (in ep. ad Rom. IV. 9.) und auf dem Wege der Wesensmitteilung, also Liebe, Gerechtigkeit und jede Tugend in den subjektiven Besitz der Gläubigen eingepflanzt, und durch die dauernde Einwohnung des hl. Geistes in uns befestigt. Das ist die iustitia inhaerens und infusa, wie sie die katholische Kirche lehrt.“ Möhler, Patrologie, p. 554. De fidei virtute supernaturali cf. Denis, l. c. p. 173.

[2]) In ep. ad Rom. IV. 9.

virtutum' ab Origene (atque ab ipso Augustino) non adhibetur, et sine dubio primis his saeculis nusquam invenitur, neque, quae sit essentia et natura harum virtutum, accuratius exponitur. Sed tamen virtutes theologicae et singulae et collectae saepe in Origenis scriptis nominantur. [1])

Fides *(πίστις)* generatim est „animae liberae rationabilis assensio“. [2]) Non enim „idem est credere, quod cognoscere, potestque contingere aliquando, ut aliquis credat, qui non habeat cognitionem rei ab ipso creditae. Multa tamen est differentia inter cognoscere coniunctim cum credere et inter credere solum“. [3]) Quo quis maiore studio se rebus divinis dedit, eo maior et purior redditur fidei virtus. „Sana autem fides dicitur, quae perfecta est, et cui nihil deest, i. e. quae capere potest omnia, quam qui habet, spiritalis appellatur et diiudicat omnia“, „unde apparet esse augmenta quaedam et profectus in fide, et aliquos habere partem fidei exiguam, alios magnam, alios vero habere omnem fidem“. Fides, ut sit perfecta, etiam in vitam influere debet, „nam fides sine bonis operibus mortua“ est; [4]) et omnia, „quaecumque audimus de Deo per fidem, ea per vitae puritatem cognoscimus, eorum, quae credimus, probationem per affectuum carentiam accipientes“. [5]) Vera atque perfecta fides coniuncta semper est cum caritate, sicut enim proficere debemus in fide, ita etiam in caritate; „considera sane, si secundum ea, quae de fide dicimus, etiam de caritatis augmentis similiter possimus intelligere“. [6]) Fides potest quidem esse virtus naturalis, sed christia-

---

[1]) Fragm. in Pr. c. I. 5. loquitur Origenes de naufragio facto „vel circa fidem vel circa spem vel circa caritatem aut aliquam ex virtutibus *(ἤ τινα τῶν ἀρετῶν)*.“

[2]) *πίστις ἐστὶ ψυχῆς αὐτεξουσίου λογικὴ συγκατάθεσις.* Sel. in Ps. CXV. 1. Cf. praeclaram Clementis definitionem: Strom. II. 2. *(πίστις,) ἣν διαβάλλουσι κενὴν καὶ βάρβαρον νομίζοντες Ἕλληνες, πρόληψις ἑκούσιός ἐστιν, θεοσεβείας συγκατάθεσις, ἐλπιζομένων ὑπόστασις. κ. τ. λ.*

[3]) Com. in Joan. tom. XIX. 1; cf. I. Cor. XII. 8, 9. — „A fide nostra habemus, ut intelligamus.“ Com. in Matth. tom. XVI. 9; cf. ss. Augustini et Anselmi Cant. illud axioma.

[4]) Ib. XIX. 6. H. in Ezech. IV. 1: „Male enim credit, quicumque peccat.“ — De peccatis contra fidem: superstitione, astrologia cet. cf. in Jerem. h. XXI. 4. Com. in Matth. tom. XIII. 6. In Gen. tom. III. 9. M. 12. p. 70, 78 sq.

[5]) *ὅσα διὰ τῆς πίστεως ἀκούομεν περὶ Θεοῦ, ταῦτα διὰ τοῦ καθαροῦ βίου γιγνώσκομεν τῶν πεπιστευμένων τὰς ἀποδείξεις διὰ τῆς ἀπαθείας λαμβάνοντες.* Sel. in Ps. XLVII. 9. Cf. in Joan. tom. XIII. 52.

[6]) In ep. ad Rom. IV. 6.

norum fides supernaturalis debet esse, „nam fides proprie illius est, qui tota anima admittit illud, quod creditur in baptismo“. [1])

Spei *(ἐλπίς)* natura ea est, „ut in tentationibus animam consoletur expectationem bonorum praebendo“. Cum fide, quae non cognoscimus, credimus, spe ea exspectamus, quae non videmus neque habemus. „Si enim iam videretur, non utique speraretur. Sperat enim quis, ut videat, si vero videat, quae sperabat, superfluum est ultra sperare, quae videt“. [2]) Ex his, quae adiungit Origenes, nobis non esse spem eorum, quae videantur, sed „in his, quae non videntur“, certe hoc sequitur, ut spes maxime spectet res divinas, i. e. aeternam felicitatem, nam „spem futurae a Deo remunerationis“ habemus, [3]) et in ea potissimum accepturi sumus, quae nos Deus sperare voluit. [4])

Fide et spe multo maior est charitas *(ἀγάπη)*. Fides enim praebet „ipsa prima salutis initia, et ipsa fundamenta“, „profectus vero et augmenta aedificii spes est; perfectio autem et culmen totius operis caritas, et ideo maior omnium dicitur caritas“. [5]) „Fidem namque et spem consequitur caritas, quae omnium maior est et non solum replet mentem nostram, sed abundat ac diffunditur in cordibus nostris pro eo, quod non humana arte a nobis acquiritur, sed per gratiam sancti Spiritus infunditur“. [6]) „Summa perfectionis in caritate consistit, caritas autem nihil iniquitatis admittit“. [7]) Dilectio enim Dei est „mandatorum eius inquisitio et exsecutio“; hanc ob rem etiam omnia tolerantur propter caritatem Dei, [8]) et „super prophetiam, super scientiam, super fidem, super ipsum etiam martyrium“ ponenda est caritas. [9]) Omnis

---

[1]) *κυρίως γὰρ πίστις ἐστὶ κατὰ τὸ βαπτίσμα τοῦ ὅλῃ ψυχῇ παραδεχομένου τὸ πιστευόμενον.* Com. in Joan. X. 27.

[2]) Com. in ep. ad Rom. VII. 5,

[3]) Ib. IV. 9.

[4]) *καὶ ἔξω τοῦ βίου τὰς παρ᾽ αὐτοῦ ἐλπίδας ἐκδεχόμενοι.* Cels. VIII. 57.

[5]) „Illa, quae spe et fide maior est, caritas.“ H in Lev. II. 4; eadem aedificii similitudine utitur August. sermo XXVII. 1. — Caritas constat ex singulis ab apostolo I. Cor. XIII. 4—7. memoratis partibus, in ep. ad Rom. IV. 6.

[6]) In ep. ad Rom. IV. 9.

[7]) In cant. cant. I. vers. 4.

[8]) Sel. in Ps. CXVIII. 45.

[9]) H. in Num. XIV. 4. — Duplex est caritas illa, „qua nos diligimus Deum“, et illa, „qua diligimur a Deo“. Considerandum Adamantio videtur, quae huius caritatis species diffundatur „per Spiritum sanctum in cordibus nostris“. „Etsi quidem illa caritas, qua Deum diligimus, intelligatur, sermo iste (Rom. VIII, 15.) assertione non indiget; si vero, quia dixit effusam esse

enim alia virtus modum habet et certam mensuram, sed „mensura caritatis haec sola est, ut tantum, quantum ipse vult (Deus), diligatur", vel haec est caritatis sola mensura, ut ei „tantum exhibeas, quantum habes". [1]) Cum autem voluntas divina semper sit eadem et immutabilis, numquam „immutatio aliqua aut finis ullus in Dei caritate recipitur". [2]) Cum proprie ad Deum tendat caritas, tamen Scripturis divinis etiam homines caritate nos amplecti debere docemur; sed haec erga homines praestanda caritas ordinata esse debet, atque ita quidem, ut praecipue quidem Deum, deinde parentes, filios, domesticos [3]) amemus atque reliquos homines secundum eum ordinem, quo cum iis iuncti sumus; ne inimici quidem a caritate excludendi sunt. [4]) Quae tamen caritas erga alios suum modum suamque mensuram habet. [5])

Dei caritatem in cordibus nostris, (ib. V. 5.) ista potius intelligenda sit, qua diligimur a Deo, certum est, quod velut summum et maximum donum sancti Spiritus caritatem ponat, quo velut munere, prius suscepto a Deo, per hoc ipsum diligere possimus Deum, quod diligimur a Deo". Intimus ergo recte ab Origene connexus esse putatur inter has caritatis duas species. In ep. ad Rom. IV. 9.

[1]) Notum est s. Bernardi illud: „modus diligendi Deum est sine modo diligere".

[2]) In cant. cant. III. vers. 7: „Deum diligere nullus modus, nulla mensura est, nisi haec sola, ut ei totum exhibeas, quantum habes." Ib. III. vers. 4. De ordine caritatis cf. in cant. h. II. 8; de gradibus caritatis in cant. cant. III. vers. 4. n. 73. 74; cf. ib. n. 73: „dicitur autem contra ordinem esse in aliquo caritas, cum aut id diligit, quod non debet, aut quod debet diligit, sed plus iusto diligit aut minus iusto; in isto ergo inordinata caritas esse dicitur"; de modo in caritate servando cf. in Luc. h. XXV.

[3]) „Si autem filius malus est et domesticus bonus, domesticus in caritate filii collocetur." In cant. cant. h. II. 8. M. 13. p. 54. B.

[4]) Deus inimicos amari iubens „non apposuit ‚ex toto corde': Non est inordinatus sermo divinus nec impossibilia praecipit nec dicit: ‚diligite inimicos vestros ut vosmetipsos', sed tantum: ‚diligite inimicos vestros'; sufficit, quod eos diligimus et odio non habemus. Proximum vero ut teipsum. Porro Deum ex toto corde." cet. Ibid. l. c. De oblivione iniuriarum cf. de orat. 9; Com. in Matth. tom. XIV. 5. 6. — „Honorem debitum parentibus reddendum esse. Huius autem erga parentes honoris pars erat vitae commoda ad victum et vestitum habere cum illis communia, et si quam aliam rem gratificari parentibus suis poterat." In Matth. Com. tom. XI. 9.

[5]) In cant. cant. h. II. 9; in cant. cant. III. vers. 4: „Omnes enim homines, sicut iam diximus, secundum hoc, quod similes nobis sunt, similiter diligendi sunt, imo omnis rationabilis creatura a nobis, utpote rationabilibus, aequaliter diligenda est. Adiciendum tamen in caritate est unicuique ad

Eadem, quam super memoravimus, in tractandis reliquis virtutibus difficultas exsistit. Hoc tamen constat: quamquam alias saepe divisiones virtutum exprimere Origenes videtur, [1]) tamen eum nosse et adhibuisse derivationem illam virtutum aliarum a quatuor illis, quae virtutes cardinales [2]) nominantur. Persaepe quidem hae virtutes ab Origene una cum aliis virtutibus enumerantur, [3]) semel de „generalibus virtutibus" loquitur Origenes; [4]) alio autem loco compositae inveniuntur cardinalium virtutum breves definitiones: „prudentia per boni et mali scientiam constat; et temperantia, quae eligenda et quae cavenda sint, novit; et fortitudo non ignorat, quae ad formidinem spectant; ita et iustitia". [5]) Quae porro de singulis dicantur, videamus.

Sobrietas vel temperantia *(σωφροσύνη)* omnium virtutum mater est. [6]) Virtutem temperantiae reginam et ducem putat Ori-

---

hoc, quomodo est et ad hoc, quod rationabilis est; si v. g. aut in moribus aut in opere aut in proposito aut in scientia aut in studiis ceteros praecellit, et pro his singulis secundum sui cuique meritum ad generalem dilectionem addendum est etiam specialis aliquid caritatis". In cant. cant. h. III. vers. 4. n. 74. De diligendis amicis pulchre scripsit Aug. de ver. rel. 47.

[1]) Pr. II. 5. 4. „quippe bonitatem genus esse virtutum, iustitiam vero vel sanctitatem species generis". H. in Lev. VII. 1. „sobrietas enim omnium virtutum mater est, sicut e contrario ebrietas omnium vitiorum"; „ex ebrietate veluti primogenitam filiam generari luxuriam". H. in Num. XXV. 4. „Milites Christi pugnant orationibus et ieiuniis, iustitia et pietate, mansuetudine et castitate, cunctisque continentiae virtutibus."

[2]) Virtutes cardinales Sap. VIII. 7. enumeratae etiam a plurimis Graecorum philosophorum laudantur, ita a Platone et Aristotele, etsi in explicandis singulis virtutibus et in ipsius divisionis ratione alter ab altero discrepat. Apertissima est Ciceronis doctrina, de off. I. 5: „omne, quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia veri sollertiaque versatur, aut in hominum societate tuenda tribuendoque suum cuique et rerum contractarum fide, aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore, aut in omnium, quae sunt quaeque dicuntur, ordine et modo, in quo inest modestia et temperantia. Quae quattuor, quamquam inter se colligata atque implicata sunt, tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur." cet. Cf. de invent. II. 53. Optime quam hae cardinales virtutes intime inter se cohaereant, et quae ex singulis procedant aliae virtutes, ostendit Thom. Aq. S. th. I. II. q. 61. a. 2. sq.

[3]) Enarrat. in Job. XXII. 18, Sel. in Ps. CXVII. 19.

[4]) *σωφροσύνη* in scriptura divina saepe ‚sobrietas' nominatur, „ab aliis tamen eruditis viris temperantia ponitur, quae temperantia una ex quatuor generalibus virtutibus habetur". In ep. ad Rom. IX. 2.

[5]) In ep. ad Rom. III. 1. n. 502.

[6]) In Lev. VII. 1. Certe ad hanc virtutem etiam castitas pertinet, sc. quia ex ebrietate, quae sobrietati contraria est, luxuria oriri dicitur. — Hoc

genes esse omnium virtutum. Cum enim omnis virtus habeat suam mensuram, quam neglegentes et excedentes peccamus, temperantia est, quae iudicat, in quantum aliis virtutibus studere debeamus. Oportet ergo nos „sapere ad temperantiam, hoc est, ut in omnibus, vel quae agimus, vel quae loquimur, vel quae sentimus, temperantiam teneamus“; in omnibus enim virtutibus „neque amplius neque minus fieri debere, modum servare, novit sola temperantia“. [1])

„Fortitudo *(ἀνδρεία)* est optima qualitas animae rationalis, qua adversantes sibi inimicos anima superat.“ [2]) Fortitudinis tres enumerat Origenes philosophorum definitiones: „fortitudo alia est Epicuri, labores ferentis, ut maiores effugiat; alia Stoici, virtutem propter ipsam amplectentis, alia Platonici, scientis fortitudinem ab irascibili animae parte proficisci, atque illi locum circa pectus assignantis“. [3]) Melior certe quam horum definitiones est ipsius Adamantii definitio. Nimirum victoria per fortitudinem ab adversariis reportanda magis spiritalibus armis ab inimicis animae nostrae quam materialibus reportatur. „Imo virtutis causa cruciari, propter pietatem verberari, propter sanctitatem mori, id acceptum Deo rationique consentaneum esse iudicamus, et vitam non amare bonum dicimus.“ [4])

---

est principium ethicae Clementis Al., quod sine dubio Origenes adoptavit: Unam esse virtutem docuerat Clemens, et prout ostendatur et exerceatur ab hominibus, diversis nominibus nominari posse (Strom. I. p. 376; II. p. 470). Radices autem omnium virtutum positas esse in temperantia et continentia. Est enim *θεμέλιος ἀρετῶν ἐγκρατεία*, (ib. II. 484) i. e. omnium cupiditatum temperatio (ib. III. 540). Hanc ob rem luxuriam putat Clem. esse maximum et gravissimum gentium vitium. Redep. I. p. 179; Winter. l. c. p. 130 sq. Non plane eadem sentit Origenes, cf. supra p. 132 adn. 3 et infra de peccatis.

[1]) In ep. ad Rom. IX. 2; „Sicut multum confidere non debemus, ne nostram virtutem videamur profiteri, sic multum pusillanimiter agere et diffidere non debemus, ne Dei adiutoris nostri impotentiam videamur pronuntiare.“ In Matth. Com. ser. 92. M. 13. p. 1743. A. cf. Cic. de inventione II. 54: „temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio. Eius partes sunt continentia, clementia, modestia“. cet.

[2]) Exp. in Prov. XXXI. 81.

[3]) *ἄλλη μὲν ἡ Ἐπικούρου ἀνδρεία, ὑπομένοντος πόνους διὰ φυγὴν πόνων πλειόνων· ἄλλη δ' ἡ τοῦ ἀπὸ τῆς Στοᾶς, δι' αὐτὴν αἱρουμένου* (cf. Cic. l. c.) *πᾶσαν ἀρετήν. ἄλλη δὲ ἡ ἀπὸ Πλάτωνος, τοῦ θυμικοῦ μέρους τῆς ψυχῆς φάσκοντος αὐτὸ εἶναι ἀρετήν, καὶ ἀποτάσσοντος αὐτῇ τόπον τὸν περὶ τὸν θώρακα.* Cels. V. 47.

[4]) Cels. VIII. 51; cf. Cicero de invent. II. 54: „fortitudo est considerata

De iustitia *(δικαιοσύνη)* plures philosophorum profert Origenes doctrinas. Refellit „istius (Valentiniani) haeresis“ sententiam dicentis „iustitiam affectum esse talem, qui unicuique, prout meretur, retribuat“. Hoc certe falsum est. „Putant enim, quia, quod iustum est, (Deus) malis mala faciat, bonis bona, i. e. ut secundum sensum ipsorum iustus malis non videatur bene velle, sed velut odio quodam ferri adversus eos.“ Hoc certe, quod de iustitia Dei sentiunt, non minus falsum est quam sunt ea, quae de bonitate dicunt. Nam existimant „bonitatem affectum talem quendam esse, quod bene fieri omnibus debeat, etiamsi indignus sit is, cui beneficium datur, nec bene consequi mereatur; sed ut mihi videtur, non recte usi sunt tali definitione, putantes non fieri bene huic, cui austerum vel triste aliquid infertur“. [1]) Simili modo singulas philosophorum de iustitia notas definitiones enumerat Origenes, nullam tamen earum amplectitur. Quamquam est „idem apud Graecos omnes iustitiae nomen, tamen constat aliam esse ex Epicuro iustitiam, aliam e Stoicis, animam tripartitam esse negantibus; aliam ex Platonicis, qui iustitiam esse volunt, cum singulae partes animae suis quaeque officiis fungantur“. [2]) Ex his variis philosophorum definitionibus et ex iis, quae in hominibus iusta et iniusta habentur, [3]) Christianus philosophus

periculorum susceptio et laborum perpessio. Eius partes magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia“; cf. quae sequuntur harum singularum virtutum definitiones. Recte s. Thom. in his Ciceronem sequitur, etsi non esse has virtutes fortitudinis „partes“, nec virtutes ad fortitudinis integritatem spectantes dicere possumus, sed potius fortitudini coniunctas et cognatas. — Ad fortitudinem etiam martyrium pertinere docent theologi; de hoc cf. infra de prudentia p. 148. a. 2.

[1]) Pr. II. 5. 1.

[2]) *τὸ τῆς δικαιοσύνης ὄνομα ταὐτὸν μέν ἐστι παρὰ πᾶσιν Ἕλλησιν, ἤδη δὲ ἀποδείκνυται ἄλλη μὲν ἡ κατ᾽ Ἐπίκουρον δικαιοσύνη, ἄλλη δὲ ἡ κατὰ τοὺς ἀπὸ τῆς Στοᾶς ἀρνουμένους τὸ τριμερὲς τῆς ψυχῆς, ἄλλη δὲ κατὰ τοὺς ἀπὸ Πλάτωνος ἰδιοπραγίαν τῶν μερῶν τῆς ψυχῆς φάσκοντας εἶναι τὴν δικαιοσύνην.* Cels. V. 47.

[3]) „Si scire volumus, quid sit iustitia, necesse est nos scire, quid est iniustitia; cum autem plenam scientiam iniustitiae ceperimus, ex ipsa, quae sit etiam iustitia, cognoscemus. Cum enim claruerit, quid sit iniustum, consequenter, quid etiam iustum sit, apparebit. Et quoniam iustitia in Deo est, cuius natura humano sensui inaccessa est, iniustitia vero in nobis hominibus vel etiam in unaquaque rationabili creatura habetur, ex hac nostra iniustitia, quae nobis nota est, illa, quae nobis velut inaccessa est et in comprehensi-

veram iustitiae definitionem capere potest. Est ergo iustitia „splendida illa virtus, quae erga proximum iure societatis aequitatem, benignitatem, humanitatem servat“. [1]) Est quidem etiam iustitia legalis, quae ostenditur, si ea faciamus, quae in lege iubentur, sed inter christianos est iustitiae quaedam virtus, quae „praestantior est legali“. [2]) His autem in definitionibus cum non omnia contineantur, quae ad notionem huius virtutis spectant, ex iis, quae de officiis Origenes docuit, quae adiungi possunt, adiungamus. Qui nos fecit Deus, certe sibi officia quaedam a nobis praestari vult, idem sentiendum de Christo et de Spiritu sancto; iustitiae ergo virtus extenditur erga Deum. [3]) Haec est, quae pietas *(εὐσέβεια)* semper ab Origene nominatur. Deinde ea lege nos Deus fecit, ut cum universis hominibus societatem haberemus. Debemus ergo iustitiae virtutem extendere ad proximos. [4]) Ita vario modo proximos iuvare possumus. „Decet igitur et cum rusticis disserere et totis viribus eos ad civiliorem vitam traducere, cum impuris etiam, ut, quantum fieri potest, puri efficiantur, denique cum iis, qui sine ratione quidvis sentiunt et anima aegrotant, ut ne amplius quidquam sine ratione faciant neque morbis animae laborent“. [5]) Non ergo „oportet malos, qui peccant, arguere, sed ipsos admonere potius divini amoris, qui ipsos

---

bilis, Dei iustitia cognoscitur et commendatur et velut ex contrario contrarium proditur.“ In ep. ad Rom. III. 1.

[1]) Cels. IV. 26; Com. in Exod. ex Philocal. c. 26. Is est iustus, „qui pro dignitate unicuique tribuit et iis, qui ex se meliores vel deteriores evaserint, reddit, quae unicuique ipsorum novit esse idonea“. Alius est et quidem magis generalis sensus in Sel. in Ps. XXX. vers 2. „non in iustitia tantum liberat nos Deus, sed et in temperantia, in fortitudine, in caritate. Nunc autem iustitiam ponit (psalmista), quippe quae omnes virtutes amplectitur“ *τὴν δικαιοσύνην, ἐπειδὴ περιεκτική ἐστι πασῶν τῶν ἀρετῶν.* Haec virtus, quae ab Origene hoc loco iustitia nominatur, certe nihil aliud est, quam generalis directio voluntatis nostrae in bonum.

[2]) *δικαιοσύνης κρείττονος οὔσης τῆς νομικῆς*, quam habebant scribae et pharisaei. Sel. in Ps. XL. 10. Distinctio nullius est momenti, quam habet Origenes inter iustitiam veram, imaginariam, symbolicam. Fragm. in Prov. I. vers. 3.

[3]) Cels. III. 50; cf. ib.: *εἰς τὸν Θεὸν τῶν ὅλων εὐσέβειαν καὶ τὰς συνθρόνους ταύτῃ ἀρετάς.*

[4]) Cels. VIII. 50: *πρὸς πάντας ἀνθρώπους πεποίηκε κοινωνικούς.*

[5]) Cels. VIII. 50; de orat. 28; Sel. in Ps. XLIV. 15: „proximi nostri sunt aut, omnes homines aut qui non omnino secundum dogmata conveniunt.“ — De hospitibus recipiendis cf. in Gen. h. IV. 2.

a nequitia retrahat". [1]) Tertio unusquisque etiam officia habet sibi ipsi praestanda. Atque in his, „quae ad nos pertinent, debemus corpore quidem sic uti, nec carnes eius voluptatis studio conterere; animae certam curam impendere et mentis acrimoniae attendere"; etiam, quae necessario postulantur ad naturalem hanc vitam sustentandam, petere debemus. [2])

Quartam virtutem cardinalem prudentiam *(φρόνησις)* [3]) sic definire solent gentes: „Scientiam bonorum et malorum et neutrorum", vel „scientiam agendorum et non agendorum et neutrorum, quae tribuat facere facienda, non facienda vero non facere". In his definitionibus nihil invenit vituperatione digni Origenes et discutit, ad quae extendatur haec prudentia. [4]) Sicut omnes virtutes etiam prudentia suam habet mensuram; itaque „prudentia, si in sua mensura est, virtus est, si minus habet, imprudentia, si plus quam oportet, malitia appellatur". Distinguenda ergo sunt ab hac virtute calliditas, quam serpens monstrabat in paradiso, et astutia malorum hominum. Nam est „serpens in paradiso prudentior dictus ceteris bestiis, hoc est extendens mensuram prudentiae et in partes malitiae lapsus; inde et filii huius saeculi prudentiores dicuntur quam filii lucis, plus enim sapiunt, quam

---

[1]) Exp. in Prov. V. 91. „Misereri porro pulcherrimum semen est virtutis." Fragm. in Prov. I. 14. — Cf. definitionem s. Ambrosii de offic. I. 24: „iustitia est, quae suum unicuique tribuit". Cic. de invent. II. 53: „iustitia est habitus animi communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem. Eius initium est ab natura profectum, deinde quaedam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt; postea res et ab natura profectas et ab consuetudine probatas legum metus et religio sanxit"; cf. ib. virtutes ex iustitia orientes.

[2]) De orat. 28; Cels. IV. 76; in Num. XVIII. 3; excerpt. in Ps. XXXVI. vers. 16; de orat. 28 etiam accuratius omnia erga Deum officia praestanda auctor exponit; cum enim „omnium longe maximum Dei opus simus et figmentum", „certum in illum [Deum Patrem] affectum servare caritatemque ex toto corde et ex totis viribus et ex tota mente debemus". Sed „Christi etiam debitores sumus, et est in Spiritum sanctum debitum aliquod nostrum, quod tunc reddimus, cum eum non contristamus et ferimus requisitos a nobis fructus, ipso adiuvante et animum nostrum vivificante". — Non plane iuste agunt, „qui corpus quantum pote ieiuniis et vigiliis macerant rerumque omnium abstinentia, quas corpus et necessariae eius functiones postulant". Com. in Matth. tom. XVII. 27.

[3]) Scriptores Graeci Aristotelem vel Platonem sequentes prudentiam vel *φρόνησιν* vel *σοφίαν* nominant. Origenis *σοφία* non tam est virtus quam summum charismatum (cf. supra p. 120, 121), quare scripturas sequens (cf. Sap. VIII. 7.) prudentiam *φρόνησιν* nominat; cf. Cels. V. 28; Sel. in Ps. IV. vers. 6.

[4]) Fragm. in Prov. c. I.

oportet sapere". [1]) Proprium igitur obiectum prudentiae est „honestum quid". „Est ergo secundum haec virtus prudentiae, et tales nominantur prudentes participatione prudentiae, in qua coelos praeparavit" Deus. [2])

Praeter has, quas omnes communiter habemus virtutes, etiam quilibet status hominum habet speciales suas virtutes. Aliae sunt virtutes viduae, quae ecclesiae eleemosynis vitam degit; aliae sunt diaconi et sacerdotis; aliae sunt gravissimae episcoporum. [3]) Sacerdotis est esse ornatum omnibus virtutibus et „per verba, doctrinam, multam sollicitudinem, laborem vigiliarum convertere peccatorem"; [4]) et omnino, „qui praeest fratribus, vel qui praestat ecclesiae, in sollicitudinem esse debet non humanarum causarum nec saecularium rerum; haec enim sollicitudo aliena debet esse ab his, qui ecclesiae praesunt". [5]) Qui matrimonio

---

[1]) In ep. ad Rom. IX. 2.

[2]) Fragm. in Prov. c. I. Prudentiam definit Arist. Ethic. Nic. VI. 6: *ἀνάγκη τὴν φρόνησιν ἕξιν εἶναι μετὰ λόγου ἀληθῆ περὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ πρακτικήν*. Cic. de invent. II. 53: „prudentia est rerum bonarum et malarum neutrarumque (al. et utrarumque) scientia. Partes eius memoria, intelligentia, providentia". Multo plures deducit ex prudentia virtutes s. Thom. Cf. S. th. I. II. q. 57. a. 6. — Hic addi possunt, quae dicit Adamantius de martyrio. Magnum erat in iuvene Origene desiderium subeundi martyrium, postea autem non quaerebat mortem, quia ipsum Dominum inveniebat (Matth. X. 23) fugam iubentem. In Joan. tom. XXVIII. 18. n. 397. Nostrum ergo docet esse periculum fugere, si autem mors instet, fortiter eam obire. Sicut ipse Aristoteles fugiendo se salvavit (Cels. I. 65), ita etiam Christi discipulus prudenter deliberat, quando deceat periculum vitare, quando obire. H. in Jud. IX. 1. n. 477. Concedit etiam Origenes, ut is, qui parvae sit audaciae, in persecutione fugiat. Cels. VIII. 44. Sed christianum oportet propter mandatum tantum Christi, non autem stulto timore percussum martyrium fugere. cet.; cf. etiam Redep. l. c. I. p. 198.

[3]) De orat. 28.

[4]) „Quod est ergo sacerdotis pectus, aut quale? tale ergo puto esse, quod plenum sit sapientia, plenum scientia, plenum omni divina intelligentia. Et quid dico plenum intelligentia? imo quod plenum sit Deo." H. in Lev. V. 12.

[5]) In ep. ad Rom. IX. 3. Sacerdotes „habere possessiones terrarum et exercere agri non animae culturam, ruri et non legi operam dare" non debent. In Gen. h. XVI. 5; de sacerd. officiis cf. h. in Levit. V. 3 sq.; sacerdotes sobrii sint, in Levit. h. VII. 1; item episcopi, Sel. in Levit. n. 182. „Discant ecclesiarum principes successores sibi non eos, qui consanguinitate generis iuncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur, testamento signare neque hereditarium tradere ecclesiae principatum, sed referre ad iudicium Dei et non eligere illum, quem humanus commendat affectus, sed Dei iudicio totum de

iuncti sunt, officia ad hoc spectantia reddere debent; [1]) „docere liberos virtutem et notitiam Dei parentum officium est“. [2])

Quod ad virtutes intellectuales spectat, multa, quae sparsim scripsit Origenes de sapientia, collegimus, quae hic brevi adiungimus.

„Sapientia est rerum divinarum et humanarum causarumque, quibus hae res continentur, scientia“ vel, ut illam divina scriptura nominat, „vapor divinae potestatis, limpida omnipotentis eius gloriae effluentia, splendor lucis aeternae, speculum sine macula Dei maiestatis et imago bonitatis“. [3]) Aliae sunt definitiones: „Sapientia *(σοφία)* est scientia spiritalis *(γνῶσις πνευματική)*, quae de Deo, incorporeis, iudicio et providentia continet doctrinam, quaeque rei ethicae, physicae et theologicae theoriam revelat. Vel sapientia est cognitio corporalium et incorporalium, nec non iudicii ac providentiae, quae in his spectatur“. [4]) Ex his definitionibus sequi mihi videtur, hanc Origenis sapientiam eandem esse, quam dicit Aristoteles [5]) esse cognitionem summorum bonorum summaeque veritatis, quam nostris viribus attingere possumus, minime vero cognitionem speculativam rerum ad fidem pertinentium, uti alias definitur. Est autem haec sapientia virtus intellectualis, nam „sapientia in ratione consistit“. [6])

---

successoris electione permittere.“ In Num. h. XXII. 4. „Conditio principum populi: non solum pro suis propriis arguuntur delectis, sed et pro populi peccatis coguntur reddere rationem . . . Haec si cogitarent homines, nunquam cuperent nec ambirent ad populi principatum. H. in Num. XX. 4. De virtutibus ab ecclesiae principibus colendis cf. In Matth. tom. XVI. n. 724; ib. XI. 15; in Isai. h. VI. 1.

[1]) De orat. 28. Cf. etiam supra p. 127. a. 3. Com. in Matth. tom. XIV. 24: „multi in coniugiis casus *(συμπτώματα ἐν γάμοις)* oboriri possent, quos vir sustinere debeat ac summis proinde difficultatibus et periculis defungi.“

[2]) Exp. in Prov. XVII. 93. Cels. VIII. 55. Cf. supra p. 142. in adnot.

[3]) *σοφία ἐπιστήμη θείων ἐστὶ καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων καὶ τῶν τούτων αἰτίων . . . οὐκ ἔστι σοφία πονηρῶν ἐπιστήμη.* Cels. III. 72, cf. Redep. I. p. 345, qui contra Thomasium l. c. p. 34 essentiam sapientiae esse positam defendit in Logo recte intellecto. „Bei beiden (Clem. et Orig.) ist es das Erfassen des Logos, nichts sonst, worin das Wesen des höhern Wissens besteht.“

[4]) Expos. in Prov. I. 1.

[5]) Ethic. Nic. VI. 7. Cf. etiam Thom. Aq. I. II. q. 57. a. 2.

[6]) In Lev. h. VI. 4. — Scholastici theologi dicunt esse sapientiam virtutem intellectualem, scientiam sc. universalem, quae ascendens ad Deum ex eo, tamquam ex summo et unico principio, deducat omnem scientiam eamque reducat ad Deum.

Duas distinguit Adamantius sapientias, divinam et humanam; humana sapientia mere virtus est naturalibus viribus acquirenda, divina autem maxime gratiae Dei debetur. Humana sapientia, quae et sapientia mundi vocatur et stultitia est apud Deum, tamen schola et exercitatio animae esse potest, [1]) non tamen ita, ut ea divinam sapientiam acquiramus; est enim „divina sapientia primum (= summum) donorum Dei," quam scientia et fides antecedunt. „Humana enim sapientia non potest scire et intelligere Dominum neque agnoscere iudicia et misericordiam et iustitiam eius, quam fecit super terram". [2])

---

[1]) Cels. VI. 13: *καὶ γυμνάσιον μέν φασιν εἶναι τῆς ψυχῆς τὴν ἀνθρωπίνην σοφίαν, τέλος δὲ τὴν θεῖαν. ἡ θεῖα τοινυν σοφία . . . πρῶτόν ἐστι τῶν καλουμένων χαρισμάτων κ. τ. λ.* Cf. supra p. 121. a. 2; Pr. III. 3. 2; Cels. VI. 14; VII. 23; in ep. ad Rom. IV. 9. Agit Origenes Pr. III. 3, 1—3 „de triplici sapientia" et secundum I. Cor. II. 6. distinguit sapientiam huius mundi, principum huius mundi, Dei. Sapientiam huius mundi „aliam quandam" putat esse, atque principum huius mundi; eamque esse dicit, „per quam sapientiam intelligi videntur ea et comprehendi, quae huius mundi sunt. Quae tamen in se nihil habet, ut possit aliquid vel de Divinitate vel de mundi ratione vel de quibuscumque excelsioribus rebus vel de bonae ac beatae vitae institutione sentire, sed est talis v. c. ut est omnis ars poetica vel musica, cum quibus adnumeranda est fortassis etiam medicina". Sapientia principum huius mundi est „Aegyptiorum secreta, quam dicunt, et occulta philosophia et Chaldaeorum astrologia et Indorum de scientia excelsi pollicentium, sed et Graecorum multiplex variaque de Divinitate sententia". Pr. III. 3. 2. Hanc sapientiam a principibus huius mundi (Dan. 10) bona fide docentibus putat Origenes populis vel gentibus traditam esse. Ib. III. 3. 3. — De aliis virtutibus intellectualibus in Origene vix quidquam invenimus. Multae quidem talium virtutum breves definitiones invenimus, praecipue in fragm. ex oper. Orig. exstantibus et a variis editoribus editis M. P. G. Orig. op. VII; sed haec omnia plane sunt abrupta et tam difficilia intellectu, ut ipsi Latini interpretes et editores fateantur se multa, quae verbotenus quidem verterint, non intellexisse. Sequuntur nonnullae, quas invenimus, definitiones: „Scientia *(ἐπιστήμη)* est comprehensio eorum, quae in theoria simili modo se habent: intellectus autem *(σύνεσις)* est secretio". Enarrat. in Job. XXIII. 12; *γνῶσις κλῆρος τῆς ψυχῆς λογικῆς.* Exp. in Prov. XVII. 78; „disciplinam dicit (autor libri Proverb.) moralem virtutem; intellectum divinam scientiam". *παιδείαν τὴν ἠθικὴν ἀρετὴν λέγει· ἔννοιαν τὴν θείαν γνῶσιν.* Exp. in Prov. IV. 33; „veritas est summa sapientia" . . . „intellectus est prior scientia", quare, qui habet scientiam, est intelligens etiam, „qui autem intelligens est, is necessario non scientia praeditus" est. Sel. in Ps. CXVIII. 144. (Aristot. Eth. Nic. VI. 6. 12 idem dicit). Cf. exp. in Prov. c. I; ib. V. 86; h. in Levit. VI. 3. cet.

[2]) Cels. VI. 13.

His in virtutibus excolendis omnibus quidem est „generalis nobis una perfectio“ [1]), quam tamen non omnes aequo modo attingunt. Nostrum autem omnium est, quantum possumus, in virtutes acquirendas et magis magisque excolendas operam conferre. Cum vicerit anima unam tentationem, et fides eius in ea fuerit probata, inde venit ad aliam, et ita per singula quaeque tentamina vitae ac fidei superata ibit ‚de virtute ad virtutem‘, ad summum gradum virtutum dum perveniat. [2]) Eo tamen modo sectatorem virtutis decet progredi, ut a parvis ascendat et ad magna perveniat. [3]) Non autem sufficit, ut in illa vel illa virtute sit perfectus; habet quidem harum singularum virtutum unaquaeque suam perfectionem, et multum est operae proficere in una virtute; „perfectio vere generalis illa est, quae omnium in se perfectionum continet summam“. [4]) Cum ergo sint plurimi in virtutibus gradus, [5]) ita possumus et debemus magis magisque sensus carnis mortificare, ut crescant semper sensus spiritus, et quotidie morientibus in nobis vitiis, virtutum numerus augeatur. [6]) Sed, ut sint plurimi his in terris virtutum labores et profectus, proprie tamen perficitur et coronatur virtus in coelis. Virtus enim, quod ad profectum attinet, similis est cognitioni nostrae, quae hic non est nisi in umbra. Similiter

[1]) H. in Jes. Nav. IV. 4. Cf. infra adn. 4. „In ecclesia, licet omnes intra unam fidem contineantur atque uno baptismate diluantur, non tamen unus omnibus atque idem profectus est, sed unusquisque in suo ordine.“ In Gen. h. II. 3.

[2]) H. in Num. XVII. 5.

[3]) Ib. XXVII. 9.

[4]) H. in Jes. Nav. IV. 4: „Licet generalis nobis sit una perfectio, tamen secundum unamquamque speciem virtutum, quam aggredimur explicare, si eam potuerimus integre perfecteque complere, est ipsius virtutis sua quoque perfectio. V. c. si is, qui iracundus est, virtutem mansuetudinis cupit adipisci, sine dubio primo offendit in multis, donec longa meditatione usum multi temporis in naturam convertat. Et cum obtinuerit, quod proposuit, adipiscitur quidem perfectionem mansuetudinis, non tamen ex hoc etiam perfectionem virtutum omnium possideat. Sic ergo“ . . cet Longum quidem est sed valde iuvat cognoscere, quae Orig. sagaci sed phantastica interpretatione dicit de profectibus virtutum in explicando Israelitarum itinere per desertum facto, ubi, quidquid arboris vel lapidis cet. invenerunt, significat aliquem profectum animae. H. in Num. XXVII. 12: similia invenies in Ps. XXXI. h. IV. 1; cf. ib. h. IV. 2: „vides ergo, quia Domini semper auxilio indigemus. Primo, ne cadamus, tum deinde etiam, si ceciderimus, ut resurgamus“.

[5]) In ep. ad Rom. VI. 5.

[6]) H. in Exod. I. 4.

etiam „in praesenti vita puto, quod formam atque umbram tenere possimus virtutum, ipsas vero virtutes tunc, cum venerint illa, quae perfecta sunt. Et ideo iustus nunc magis, ut mihi videtur, in umbra virtutum, quam in ipsis virtutibus vivit". [1]) Hanc ob rem etiam perfecte virtutum ac certaminum praemia iis, qui bene certaverunt, post hanc vitam reservata sunt; attamen neque in his terris sine praemio est virtus, cum Deus hic iam nobis illius praemii primitias quasdam et arrham benigne donet. [2])

[1]) In ep. ad Rom. VI. 3.
[2]) Enarrat. in Job. XL. vers. 3.

VIII. De peccatis, peccatorum fontibus et remediis.

De malo vel peccato supra iam, cum de notione boni et mali tractabamus, generalia Origenis principia exposuimus; reliquum est, ut, quae de peccatis specialiter scripserit, exponamus.

Ac primum quidem, si de peccatis agimus, excluduntur omnino ea, quae physice mala nominamus. Ea enim re vera non sunt mala, sed mala solum corporea et exteriora *(σωματικὰ κακὰ καὶ ἐκτὸς)*, quae per abusionem *(καταχρηστικῶς)* vocantur mala. Haec mala interdum „creat" Deus iisque purgat et erudit eos, qui verbo et doctrina sana erudiri nolunt. [1]) Quae autem in honestatis ordine mala sunt, ea vera et sola mala esse neque ullatenus a Deo creari postea ostendemus. Huius deinde mali naturam per se non omni ex parte esse malam et molestam Celsus putabat, [2]) nos autem omne malum per se esse malum, imo omnem, qui malo i. e. iniquitati communicet, esse amicum et ipsius „moechum diaboli" contendimus. [3]) Bonum proprie, ut supra dictum est, virtus est et omnia, quae ex virtute procedunt; proprie ergo malum et inhonestum id putandum est, quod virtuti contrarium est. [4]) Cum autem Dei legibus ad sequenda bona vel virtutes excitemur, definire possumus esse mali et peccati naturam, si fiat, quod lex divina vetat. [5]) Sed non lex tan-

---

[1]) Cels. VI. 56.

[2]) Ib. IV. 70: *τὴν τῶν κακῶν φύσιν οὐ πάντῃ εἶναι μοχθηράν.* Cf. supra p. 60, 70. sq.

[3]) „Omnis, qui iniquitati communicat, moechus est diaboli, qui primus uxorem duxit nequitiam." Exp. in Prov. V. 71.

[4]) Cels. VI. 54. Ita etiam Stoici dicebant; cf. supra p. 66.

[5]) „Peccati namque natura haec est, si fiat, quod lex vetat" In ep. ad

tum divina hic respicitur, scimus enim administrationem Dei etiam in humanis legibus aspici. Qui ergo peccat, in Dei administrationem peccat, [1]) atque hoc est commune omnibus peccatis. Possumus ergo iam nunc contra eos, qui docent Deum auctorem esse peccati, haec respondere: „Deum non esse malorum seu vitii vitiosarumque actionum auctorem. Quod si revera esset eorum auctor, quomodo consisteret id, quod de iudicio praedicatur". [2]) Neque, cum per Dei Verbum omnia facta sint, „vitium, omnis fusio peccati, et omnia prava et peccata" facta sunt a Deo. [3]) Ex iis, quae supra dicta sunt de participatione hominis cum Verbo divino, eo ipso concludi debet esse etiam omne peccatum contra hoc Verbum, vel generaliter contra rationem, quod revera multis locis Origenes fatetur. Dicit enim omnes creaturas rationabiles laudis vel culpae capaces esse, laudis quidem, si secundum rationem, quam in se habeant, ad meliora proficiant, culpae vero, si rationem rectique tenorem declinent. [4]) Si huic forte addis etiam, quae hoc divinum Verbum nostra causa fecit et passus est, certe „quicumque peccat, praevaricatione anathematizans Verbum divinum, operibus suis clamat: ‚anathema Jesu'." [5]) Item „omnis, qui peccat, odit

---

Rom. VI. 8. Cf. Method. *περὶ τοῦ αὐτεξουσίου*, Bonw. l. c. p. 50: *τοῦτο γὰρ καὶ μόνον ἐστὶ τὸ κακὸν, ὃ παρὰ τὴν τοῦ Θεοῦ προαίρεσιν γίνεται.*

[1]) „In Dei administrationem peccat, qui peccat." Cels. VII. 69. Plane ergo consentit Origenes cum s. Augustino, qui definit peccatum esse dictum vel factum vel concupitum contra legem aeternam, c. Faust. XXII. 27; cf. Thom. Aq. II. I. q. 71. a. 6.

[2]) Cels. VI. 53; ib. IV. 69: *ὅτι κακὰ μὲν, ἢ τὴν κακίαν, καὶ τὰς ἀπ' αὐτῆς πράξεις ὁ Θεὸς οὐκ ἐποίησεν.*

[3]) Com. in Joan. tom. II. 7.

[4]) Pr. I. 5. 2; Schol. in cant. cant. XXV. 1 loquitur Origenes de vita „contrario modo oppositoque rectae rationi"; de orat. 31. distinguuntur, quae quis in multis ex proximis peccavit, aut quae praeter rectam rationem quovis egisse modo sibi conscius sit, *ἢ ὁποῖα δήποτε παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πεπραγμένα ἑαυτῷ συνειδότι.* Cf. p. 155. a. 1.

[5]) „Et sicut semen Dei in eo, qui natus est ex Deo, manens, causa est, cur peccare non possit, qui unigenito Verbo conformatus est, sic omni, qui facit peccatum, semen diaboli inest, quod quamdiu in anima est, nihil sinit eam agere posse." (Quod quidem de morali impossibilitate, aut de impossibilitate efficiendi aliquid meritorii dictum putes.) De orat. 22. „Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat, Filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum iugulari, sed mansisset hoc, quod in principio erat, Deus Verbum. Verum quoniam peccatum introivit in hunc mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, et pro-

Deum, vel sapientiam contemnens, hoc est Christum, vel iustitiam odio habens et operans iniquitatem. Et quoniam iustitia est Christus, qui odit iustitiam, Christum odit et Deum. Si enim quis sui ipsius sincerus et candidus aestimator fuerit, sibi odio esse Deum deprehendet, v. g. iniustitia odit Deum, et iniustus, quatenus iniustus est, odit Deum, iniustitia, quae in ipso est, hoc faciente. Peccatorum dentes sunt a ratione cogitationes nobis praeter naturam advenientes"; [1]) hic tamen magnus est, qui in peccato efficitur, error, quod, cum peccator, sui ipsius nimis amans, sibi benefacere velit, facto tamen se ipsum odit et propriae insidiatur animae: quemadmodum et qui iuste agit, ordinato atque recto amore se ipsum diligit, dum et de se ipso et de proximo bene meretur, utrumque simul ad virtutem adducendo. [2])

Erant quidem multi adversariorum Origenis, quos refutat, quorum alii putabant esse quoddam principium mali, atque peccatum ipsum esse substantiam; alii non quidem esse speciale peccati et mali principium, tamen materiam vel ipsum corpus humanum esse causam vel occasionem et sedem omnis peccati affirmabant. Quae dixerit Adamantius contra has haereticorum sententias, supra iam dicta sunt, sc. peccatorum substantiam esse nullam et omne vitium nihil esse, quia non sit ens, [3]) sed peccatum non esse nisi qualitatem vel „effectum" „in opere agentis". [4])

---

pitiatio non fit, nisi per hostiam, necessarium fuit provideri hostiam pro peccatis." H. in Num. XXIV. 1; cf. Pr. I. 2. 4.

[1]) Sel. in Ps. III. 7; quod ad hoc dictum attinet „praeter naturam", certe Stoicorum more loquitur Origenes, etsi non eodem sensu, quo Stoici. Com. in Joan. tom. II. 9: *ζητητέον γάρ, εἰ καὶ ἡ κακία διὰ τοῦ λόγου γεγένηται, νῦν λόγου προσεχῶς λαμβανομένου τοῦ ἐν ἑκάστῳ, ὡς καὶ αὐτὸς ἀπὸ τοῦ ἐν ἀρχῇ λόγου ἑκάστῳ γεγένηται κ. τ. λ.* H. in Levit. VIII. 6: „qui aliquid contra rationem recti iustique gerat, reputari ei peccatum dicitur ex ea parte, qua sensus in eo vivae rationis apparuerit". Cf. supra p. 65. a. 5. — Malum *(ἁμαρτία)* non fit voluntate Dei *(οὐ κατὰ γνώμην τοῦ Θεοῦ)*, sed eo non prohibente *(οὐ κωλύοντος)*. Pr. III. 2. 7; sed utitur Deus etiam malis ad bona efficienda, *κἂν συγχρήσηται, τῇ κακίᾳ τῶν φαύλων εἰς τὴν διάταξιν τοῦ παντὸς ὁ Θεὸς κατατάσσων αὐτοὺς εἰς χρείαν τοῦ πάντος.* Cels. IV. 70; cf. VII. 68; h. in Num. XIV. 2. Cf. Redep. II. 329, 330. — Logos cum ipse sit vita et det vitam hominibus, omne autem peccatum committatur contra rationem, i. e. Verbum, consequenter omne peccatum contrahit aut privationem aut diminutionem vitae, uti ubique docet Adamantius in Com. in Joan.; cf. etiam in Levit. h. IX. 11.

[2]) Sel. in Ps. X. vers. 6.

[3]) „Omne vitium nihil est, quia non est ens" *ἡ κακία οὐδέν ἐστιν, ἐπεὶ οὐκ ὂν τυγχάνει.* In Joan. tom. II. 7. Cf. supra p. 71.

[4]) „Quippe cum nec substantia eius unquam sit, nisi in opere agentis."

Eodem modo sanam ostendit Origenes doctrinam, eo quod non in materia constare peccatum putat. Multa quidem sunt, quae „abusive" immunda et impura nominantur, proprie autem, quod est impurum, id oritur a vitio. „Impura autem non est natura corporis. Non enim, qua natura corporea est, ea malitiam impuritatis genitricem coniunctam habet." [1]) Materiam naturarum mortalium esse malorum causam, prorsus negandum est, e contra „sua cuique voluntas causa ipsi est malitiae, quae malum est, ut et mala sunt actiones, ad quas compellit, neque quidquam aliud, si accurate loqui volumus, malum existimandum est". [2]) Hoc enim ad veram peccati notionem omnimodo requiritur, ut sit voluntarium, i. e. libero voluntatis nostrae consensu commissum. Itaque recte „definiunt quidam *πονηρίαν*, i. e. nequitiam spontaneam vel voluntariam esse malitiam" *(ἑκούσιος κακοποιία)*; [3]) hoc ergo est nequitiae, ut „voluntate et studio" mala fiant. [4]) Exemplum hoc melius docebit: „irae appellatio significat voluntarium quidpiam, quod nonnulli definiunt eos, qui laesisse videntur, ulciscendi appetentiam. Significat etiam involuntarium, quod a nonnullis vocatur prima commotio, quae certis quibusdam irritationibus trahit ad eam, quam prius definivimus iram". Apparet certe ex hoc esse iram aliquam, „quae non sit peccatum, quaeque nondum a libera voluntate nos urgeat et aliis noceat". Ut de hac irae prima commotione involuntaria, ita etiam de omnibus aliis

---

In ep. ad Rom. VI. 1; cf. in cant. cant. IV. vers. 10—13. Similiter iam Clem. Al. docuerat peccatum non esse opus Dei neque substantiam. Strom. IV. p. 605; idem Stoicorum (quoad verba quidem) amplexus definitionem esse peccatum dicebat *πᾶν τὸ παρὰ τὸν λόγον τὸν ὀρθὸν*. Paedag. I. p. 158, sive consistit in *ἀγνοεῖν κρίνειν, ὅτι χρὴ ποιεῖν, ἢ ἀδυνατεῖν ποιεῖν*. Strom. II. p. 462. Cf. Redep. I. 132.

[1]) *τὸ γὰρ κυρίως μιαρὸν τοιοῦτόν ἐστιν. Φύσις δὲ σώματος οὐ μιαρά· οὐ γάρ, ᾗ φύσις σώματός ἐστι, τὸ γεννητικὸν τῆς μιαρότητος ἔχει τὴν κακίαν.* Cels. III. 42.

[2]) *οὐκ ἔστι κακὰ ἐκ Θεοῦ . . τὸ δὲ τὴν ὕλην τοῖς θνητοῖς ἐμπολιτευομένην αἰτίαν εἶναι τῶν κακῶν, καθ' ἡμᾶς οὐκ ἀληθές. τὸ γὰρ ἑκάστου ἡγεμονικὸν αἴτιον τῆς ὑποστάσης ἐν αὐτῷ κακίας ἐστὶν, ἥτις ἐστὶ τὸ κακόν. κακὰ δὲ καὶ αἱ ἀπ' αὐτῆς πράξεις, καὶ ἄλλο οὐδὲν, ὡς πρὸς ἀκριβῆ λόγον καθ' ἡμᾶς ἐστι κακόν.* Cels. IV. 66.

[3]) „Malitia autem est voluntaria malificentia." Com. in Matth. XII. 3. Multo certe melius peccati naturam Origenes comprehendit quam Socrates et Plato, cf. Tim. 86: *κακὸς μὲν γὰρ ἑκὼν οὐδείς, διὰ δὲ πονηρὰν ἕξιν τινὰ τοῦ σώματος καὶ ἀπαίδευτον τροφὴν ὁ κακὸς γίνεται κακός.*

[4]) In Ps. XXXVI. h. II. 4.

sentiendum est. [1]) Atque in tantum, ut sit vere peccatum, haec voluntatis libertas adesse debet, ut ne quid coactionis extrinsecus illatae admittatur oporteat. E. g. „Ponatur cor alicuius esse purissimum, vim autem in re impudica corpori casto vitium intulisse. Haec quidem mihi in occulto casta omnino esse videtur; corpore vero non item pura esse, qualis erat ante vim illatam, sed non propterea, quod non pura sit, iam etiam impudica est". [2]) Quia verum non est peccatum, quod liberum et voluntarium non est, elucet in omnibus, qui rationis vel spontaneitatis capaces non sunt, revera et formaliter peccatum inesse non posse. „Puer ergo parvulus, quatuor fere aut quinque annorum", [3]) laedens parentes, „quantum ad praeceptum mandati spectat", poenam, atque in vetere testamento mortem debebat. Sed quia non iam vivit in eo „lex naturalis" neque ratio neque libertas sufficiens, „est quidem species peccati, quod facit, sed mortuum est in eo peccatum, quia per absentiam naturalis legis, quae in eo nondum est, peccatum ei non potest reputari. Nondum est enim intra eum ratio tanta, quae eum doceat hoc, quod facit, non fieri debere". [4])

Peccata igitur omnia cum pendeant a cognitione et libera voluntate, incipiunt a cogitatione. „Fons et principium omnis peccati est mens improbi, quae iniquitatibus redundat. Atque quidem principium est a corde et finis in operibus". [5]) Cum ergo peccatorum omnium fons sint malae cordis cogitationes [6]) sequi-

---

[1]) Sel. in Ps. IV. vers. 5. Cf. ad hoc: „furor *(θυμὸς)* differt ab ira *(ὀργὴ)*, quod furor ira sit fumigans et adhuc accensa, ira vero appetitio vindictae. Ergo veluti imperfectior ira est furor, iam autem in perfectione quadam est ira." Sel. in Ps. II. n. 541.

[2]) Com. in Matth. tom. XII. 7. Quid de peccatis non voluntariis, vel quae „non sponte" fiant, Orig. putaverit, invenis h. in Levit. II. 1; cf. *ψυχὴ οὖν ἁμαρτάνει ἀκουσίως, ὅτε προφάσει εὐσεβείας τὸ μὴ δέον τηρεῖ..* Adnot. in Levit. c. IV. Ob peccata quaedam involuntaria in vetere foedere quasdam civitates refugii constitutas esse, h. in Num. XXVIII. 2.

[3]) Alio loco Orig. perfectae discretionis tempus in duodecimo anno ponere videtur: „hoc hominum natura non recipit, ut ante duodecim annos sapientia compleatur. Aliud est partem habere sapientiae, aliud sapientia esse completum". In Luc. h. XIX.

[4]) In ep. ad Rom. V. 1; h. in Levit VIII. 6; Com. in Joan. tom. II. 9.

[5]) „In iis autem, qui ad Dominum convertuntur, principium ducitur a pravorum actuum abstinentia, finis vero est puritas cordis." Sel. in Ps. LVII. 3. Dispar est ergo ratio conversionis ad Deum et aversionis ab eo.

[6]) *πηγὴν εἶναι πάντων τῶν ἁμαρτημάτων τοὺς πονηροὺς διαλογισμούς.*

tur, v. g. „ut, si ante quis non moechatur in corde, moechari non possit in corpore. Sed non continuo, si quis ab exterioris hominis incipiat castitate, perveniat etiam ad interiorem continentiam, ut si non moechatur in corpore, nec in corde moechatur". [1])

Ex his habemus divisionem inter peccata cordis, oris, operis. „Triplex namque forma est peccatorum; omne enim peccatum aut in facto aut in verbo aut in consensu mentis admittitur". [2]) Ex cogitatione enim prodeunt primum verba, deinde ipsa opera. Aliud autem est cogitationibus tantum peccare, „quod et tolerabile est", aliud „rebus ac verbis, quod et periculosum et grave est". [3]) Quapropter, si quando veniant nobis malae cogitationes, eas eicere debemus neque verbum proferre neque mali facti quid admittere. Si autem in cogitationibus contingat „motum vel noxam exsistere", quilibet probus „haec in seipso custodit neque verbum profert iuxta peccatum, quod in occulto fit, neque complete perficit (*οὐδὲ πράττει ἀποτελεσματικῶς*), sciens cogitationem esse curabilem. Quod vero opere ac verbis fit, curatu difficile, et quandoque incurabile exsistit", [4]) nimirum, quia iam ad extra prodiit peccatum et extrinsecus iam habet suos effectus, qui difficulter interdum, saepe omnino non reparari possunt. Abiciamus ergo omnes, ne peccemus, in nobis orientes cogitationes malas, neve

---

Com. in Matth. tom. XI. 15. „Semen peccati cogitatio perversa". *σπέρμα ἁμαρτίας λογισμὸς πονηρός.* Sel. in Ps. XX. vers 11.

[1]) Com. in ep. ad Rom. II. 13. Qui corde tantum moechatur, vere peccatum committit adulterii, sed crimen dimidiate commissum turpius est quam volitum tantum; pessimum tamen est peccatum omni ex parte plane perfectum. Tom. in Matth. XI. 12. n. 495. In exercendo malo, quae in corde est nequitia, intensive augetur. Cf. tom. in Joan. XXVIII. 12. n. 385.

[2]) In cant. cant. IV. vers. 15: „Tres istae in nobis peccandi viae, aut enim in facto, aut in dicto, aut in cogitatione peccatur." H. in Exod. VI. 3. „Triplex namque est etiam bene agendi via, nihilominus enim vel opere vel cogitatione vel verbo boni aliquid agitur." Ib. l. c. „Quoniam igitur multorum peccatorum initium humanus est sermo, et os nostrum multis malis ministrat, et valde difficile est inveniri hominem, qui una saltem hora os suum et linguam suam observet a peccato," In Ps. XXXVIII. h. I. 3.

[3]) *ἐπίσταται σπουδαῖος ἅπας ἕτερον εἶναι τὸ ἐν λογισμοῖς ἁμαρτάνειν, (ὃ καὶ ἀνεκτέον ἐστίν,) καὶ ἕτερον ἐν πράξει καὶ λόγοις, (ὃ καὶ ἐπικίνδυνον καὶ βαρύ).* Sel. in Ps. LIV. 5.

[4]) Sel. in Ps. LIV. 5. Cf. in Num. h. VII. 1: „ne detraham fratri, ne male loquar de proximo meo, ne aperiam os meum ad derogandum non solum sanctis, sed et quibuslibet proximis meis."

per eas ad desideria prava vel actiones pravas nos seduci patiamur. [1])

Si quaerimus, qui sint effectus peccati, hoc quidem primum occurrit peccatum esse, quod hominem parvum faciat et exiguum, cum virtus eum eminentem praestet et magnum. [2]) Quod enim magnos nos reddit, est amicitia et coniunctio cum Deo. Regnum autem Dei cum regno peccati stare non potest. Si ergo Deum in nobis regnare volumus, nullo modo obediamus peccati praeceptis, quae ad opera carnis et a Deo aliena animam provocant. Alioquin solvitur necessario vinculum, quod Deo nos connectit. [3]) „Peccatum inter nos separat et Deum"; [4]) si quis peccavit „libero peccati arbitrio", in huius corde non iam Deus, sed „in eo peccatum regnat". [5]) Si vero Deus non iam amicus noster est, omnia quodammodo inimica sunt nobis. Peccatori enim, qui, quantum in se est, „corrumpit terram", [7]) „omnis terra hostis est", cum iusto, „quae inaccessibilia videntur, plana et proclivia" efficiantur. [8]) Accedit, quod in daemonum redigitur peccator servitutem pessimam; nam, cum pecco, „quae diaboli sunt, facio. qui in cor misit, ut hoc vel illud peccatum facerem. Primum eius recipio iaculum, tumque illo recepto etiam illum admitto". [9]) Itaque duplicibus diaboli [10]) et ipsorum vitiorum catenis con-

[1]) Sel. in Ps. XX. vers. 11.

[2]) Cels. VIII. 50.

[3]) H. in Levit. XII. 2.

[4]) De orat. 25.

[5]) H. in Gen. XIII. 2. Cf. etiam in Reg. h. I. 9: „si omnis actus iusti, quem secundum Deum agit et secundum mandatum divinum, oratio reputatur, quia iustus sine intermissione, quae iusta sunt, agit, per hoc sine intermissione iustus orabit, nec umquam ab oratione cessabit nisi iustus esse desistat. Cum enim iniustum aliquid agimus aut deliquimus, certum est, quod eo tempore etiam ab oratione cessamus."

[6]) De orat. 25; ib. 29: „iure ii ab eo, quem dereliquerunt, Deo, vicissim derelinquuntur et traduntur in passiones igominiae . . non iis modo, quae naturae consentiunt sed contrariis etiam naturae plurimis [cf. de hoc exp. in prov. V. 74.] inquinantur".

[7]) Sel. in Gen. 31.

[8]) H. in Jes. Nav. IV. 1. Multa saepe sunt peccatorum damna temporalia: „nobis hominibus vel mors vel reliqua omnis fragilitas in carne ex peccati conditione superducta est". H. in Levit. III. 1.

[9]) Sel. in Exod.

[10]) „Vincula, quibus nos constringunt, (daemones) sunt passiones et vitia nostra". H. in Gen. IX. 3; rectum ergo est hoc dictum Origenis: „Onus monte gravius omne peccatum". Sel. in Exod. „Jede Sünde ist Verähnlichung mit dem Teufel, wie das Gute in uns das Gottähnliche ist, jenes Ebenbildlich-

strictus peccator non iam habet, ut antea, intellectus claritatem ad veritatem cognoscendam, atque ipsa voluntas infirma redditur ad resistendum ultra peccatis. Oritur enim ex peccato „nequitia et inscitia“; [1]) nequitia quidem secundum directionem voluntatis ad malum, et inscitia in intellectu, qui maxime ignorantia de Deo laborat, cuique per affectus malos non iam licet intueri veritatem. [2]) Minime ergo neglegentes esse debemus, „quoniam ex uno peccato generatur aliud, et ita, qui saepius peccat, malum peccandi consuetudinem *(ἔθος)* contrahit, qua quotidie nequior ac deterior efficitur; [3]) hoc enim est vere vitium, i. e. mali habitus, ex quo proveniunt peccata. [4]) Per id etiam augetur periculum, ne, qui semel in tantum nequitiae processerunt, „pro longa vitiorum consuetudine vix eorum turpitudinem comprehendant“, [5]) ita ut valde difficile sit eos sanari et ad virtutem reduci. [6]) Praeter hos omnes malos peccati effectus, praeter ipsam hanc separationem tristissimam animae a Deo, quae vera est mors animae, [7])

---

keit mit dem Teufel, dieses göttliche Ebenbildlichkeit.“ Redep. I. p. 213; cf. in Levit. IV. 3: „si perfectus es, sicut pater tuus in coelis perfectus est, imaginis Dei in te depositum manet. Si vero e contrario agas et pro misericorde crudelis, pro pio impius, cet. . . abiecta imagine Dei diaboli in te imaginem suscepisti et bonum depositum, tibi divinitus commendatum, abnegasti.“ In Exod. h. VI. 9: „diaboli enim in te imago est et superscriptio.“ cet.

[1]) Exp. in Prov. V. 45. Cf. supra p. 33.

[2]) Cels. VI. 67: *τοῦ ὑπὸ τῶν παθῶν ἐμποδιζομένου βλέπειν ἀλήθειαν.*

[3]) „Sicut enim ex iustitia generatur iustitia, ex castitate castitas, (si enim quis primo tenuiter castus esse coeperit, accepto castitatis fermento quotidie castior efficitur) ita et, si quis semel inter se licet parvum malitiae reposuerit fermentum, quotidie semetipso nequior efficitur ac deterior.“ H. in Num. XXIII. 7. „Consuetudine et nequitia tincti penitus et imbuti ad vitam sapientem rectaeque rationi consentaneam eniti nisi difficile non possint.“ Cels. III. 65. (Homines) „natura et consuetudine ad peccandum proclives, mutari et sanari (poenis, cet.) posse. Ut enim verum sit, ad peccatum omnes homines natura propendere, et quosdam non natura tantum, sed etiam consuetudine ad peccatum ferri, non omnes tamen homines ii sunt, qui perfecte mutari non possint.“ Cels. III. 66.

[4]) Bene novisse Origenem vitii et peccati distinctionem ex hoc cognoscitur: „non prius nominat (auctor libri Job. cf Job XXII. 5.) peccatum *(ἁμαρτίαν)*, deinde vitium *(τὴν κακίαν)*: sed videns vitium malum esse habitum *(φαύλην ἕξιν)*, deinde postea, quae sunt a malo habitu, peccata, quae dixit innumerabilia esse peccata“. Enarrat. in Job. XXII. vers 5.

[5]) De orat. 29.

[6]) Cf. supra 3.

[7]) In ep. ad Rom. VI. 6: „Sicut corpus accepto ferri vulnere moritur, ita et anima accepto peccati vulnere moritur.“ H. in Jes. Nav. XV. 1.

hoc demum adiungitur, quod omnia, quae bene meriti sumus, perduntur. Qui enim operi spiritali intentus fructus quam plurimos fecerat et multa bona opera in conscientiae suae conclavi recondiderat, si rursus ad voluptates et peccata vergit, omnia illa bonorum semina et fructus sancti operis dominante libidine corrumpit et amittit. „Cum enim subintroierit peccatum et captivaverit hominis sensum, ut non iam respiciat ad mandata Dei nec arduam virtutis viam libenter ascendat, depereunt omnia, quae prius fuerant in horreo conscientiae congregata". Licet ergo sudaverit aliquis propter virtutem et plurima sibi pepererit merita, si peccat, „iste condita omnia evacuavit, ex omnibus facultatibus suis nudus repente et inanis effectus est, quia diu quaesitus et multo vix labore collectus subito omnis effusus est labor; et, sicut dicit propheta,[1]) omnes iustitiae eius, quas facit, non commemorabuntur". [2])

Origenes, cum unam esse virtutem existimaret, docuit bono inesse vim quandam unitivam; malum autem, ut unitate carens, etiam carere omni vi unitiva. „Unus enim, cum peccat, multiplex est, a Deo abscissus et in partes divisus et ab unitate decidens. Multi autem, qui Dei mandata sequuntur, unus sunt". [3]) „Unum est bonum, turpia multa, unum quid veritas, multa falsa, unum quid vera iustitia, hanc simulant habitus multi, unum quid Dei sapientia, multae autem sapientiae huius saeculi, et unum Verbum Dei, multa autem a Deo aliena". [4])

---

[1]) Ezech. III. 20.

[2]) Opera, quae mortificata nominamus, h. in Judic. VII. 2. Fortasse ab Origene etiam hoc, quod vulgo posteri docent, de duplici peccati reatu, poenae sc. et culpae cognitum demonstrari potest; dicit enim oportere: „peccatorem, posteaquam fuerit mundus, posteaquam remissionem per poenitentiam acceperit peccatorum, de purgatione capitis admonere". H. in Levit. VIII. 11; cf. ib. sq.

[3]) In ep. ad Rom. II. 1; cf.: „ubi peccata sunt, ibi est multitudo, ibi schismata, ibi haereses, ibi dissensiones; ubi autem virtus, ibi singularitas, ibi unio, ex quo omnium credentium erat cor unum et anima una. Et ut manifestius dicam, principium malorum omnium est multitudo, principium autem bonorum coangustatio et a turbis in singularitatem redactio, ut puta nos omnes, si salvandi sumus, ad unionem, ut perfecti efficiamur in eodem sensu et in eadem sententia, et simus unum corpus et unus spiritus". Tales ergo simus, „ut nos unitas circumscribat", si autem „a malitia scindimur atque dividimur, non sumus futuri, ubi sunt illi, qui rediguntur in unionem". Virtus „ex plurimis unum" facit, necesse ergo nobis est „unum per eam fieri et fugere multitudinem". cet. In Ezech. h. IX, 1.

[4]) De orat. 21; cf. ad hoc: „qui sanctus est, solius Dei est, qui autem

Nemo mortalium omnino liber est a peccato; omnes enim homines, plus minusve ad peccatum inclinantes, magis vel minus peccant. [1]) „Peccat enim omnis homo, nec est iustus super terram, qui faciat bonum et non peccet". [2]) „Fieri non posse arbitror, ut anima nihil sordidum contrahat ne in extremis quidem partibus et quae infirmae sunt, etiamsi quoad homines perfectus quis esse videatur". [3]) Plane igitur stultum est contendere velle, hominem posse in hac vita esse absque ullis peccatis. [4])

Divina quidem scriptura nonnullis locis loquitur hunc in sensum; sed „absque peccatis esse in scripturis dupliciter intelligitur: ut sit alterum nunquam omnino peccasse, alterum peccare desiisse". Ad primum dicendum „nullum esse absque peccato, quia omnes homines aliquando peccavimus, licet postea virtutem secuti sumus". Similiter ipsi, qui multum in iustitia et virtute

---

peccator est et immundus, multorum est; multi enim daemones possident eum". H. in Levit. V. 12.

[1]) Cf. p. 160. a. 3. — „Mit der Sünde des Teufels erfolgte, da alle an den Sünden aller teilnehmend ein Gesamtes bilden, ein allgemeiner Fall, . . . bei jedem in individuellem Maße, bei allen, weil alle — mit einander ein in sich verbundenes Ganze — an den Zuständen aller teilnehmen, in irgend einem Grade." Redep. II. p. 323, 324. Cf. supra. p. 104. a. 1.

[2]) In Isai. h. IV. 2.

[3]) Com. in Joan. tom. XXXII. 2: „qui ne cogitatione quidem peccat, vehementer *(σφόδρα)* custodit mandata Dei". Sel. in Ps. CXVIII. 4; h. in Exod. VI. 4. — Cf. quae pulchre scripsit Origenes de peccatis sacerdotum, in Levit. h. II. 3: „ipse, qui unctus est, ipse, qui sacris ignibus divina succendit altaria, qui Deo munera et salutares hostias immolat, qui inter Deum et homines medius quidam repropitiator intervenit, nec iste inquam immunis manet a contagione peccati . . . Sacerdotes Deus statuit non eos, qui omnimodo peccare non possent, alioquin non essent homines, sed illos, qui imitari quidem debeant illum, qui peccatum non fecit; offerre autem hostias primo pro suis, postea pro populi delictis". Cf. in Jerem. h. XI. 3, qui in clericatus ordine sumus, sciamus nos „non statim in eo esse salvandos, quia clerici sumus, multi enim et presbyteri pereunt. Igitur sunt quidam clerici non ita viventes, ut et ipsi ex ordine capiant fructum et ornamento suae sint dignitati. Utilitas quippe clericatus non in eo, siquis in agmine sedeat presbyterorum, sed si iuxta locum suum et iuxta praecepta Domini dignus incedat. Plus a me (sacerdote) exigitur quam a diacono, plus a diacono quam a laico. Qui vero totius Ecclesiae arcem obtinet, pro omnibus reddet rationem". De depravatis episcopis, presbyteris, diaconis cf. in Num. h. II. 1.

[4]) Plures status distinguit Clem. Al. eorum, qui peccant. Infimus est status non diu perseverare in peccatis; perfectior est, qui non saepe committit peccata voluntaria *(ἀκούσια)*; hos superant, qui nunquam agunt contra id, quod iustum putant *(κατὰ γνώμην)*. Sine ullis peccatis solus est Deus. Paedag. I. p. 99; cf. Redep. I. p. 181. adn. 8.

profecerunt, in multis tamen offendunt omnes, quia „difficile est ambulare in omni“. [1]) Maxime autem inclinatur ad peccatum iuvenum aetas, quae valde est labilis; cogitatio enim hominum a iuventute proclivis ad mala est. [2]) Sed quantumvis ad peccatum inclinatis, tamen in fide ac religione facultas nobis est ea vitandi ac superandi; haec enim ab invicem pendent: vitae integritas et fidei. Quo quis igitur maiore cum sinceritate res ad fidem pertinentes amplectitur, eo ipso etiam mores eius emendentur oportet. [3])

Nosse Origenem distinctionem illam inter peccatum actuale et habituale vel vitium, supra indicavimus. [4]) Item de peccato, quod nos materiale et formale dicimus, rectum eum docuisse pluribus iam locis explicatum est. Deinde Origenes generalem distinctionem habet inter peccata commissa per excessum et per defectum. Cum enim omnis virtus habeat suam mensuram, homines peccare possunt dupliciter, vel transgrediendo mandata vel evacuando. [5]) Quando ergo non ex disciplina vivimus, sed amplius facimus, quam quod leges permittunt, vel si non omnia, quae postulantur, praestamus, certe regulam moralitatis transgre-

[1]) In Luc. h. II. Idem distinguitur Cels. III. 61, ubi solus Christus ab omni peccato eximitur. Praeter eum autem omnes homines, etiam s. Josephum et beatam virginem, peccasse dicit Origenes, in Luc. h. XVII; cf. ib. h. XIV, ubi Mariam et ipsum Jesum docet scriptor purificatione indiguisse, non quidem propter peccata („neque enim (Jesus) peccata fecit“) sed propter „sordes“. „Ergo Jesus purgatione indiguit et immundus fuit, aut aliqua sorde pollutus. Temerarie forsitan videor dicere, sed Scripturarum auctoritate commotus, . . . neque enim id ipsum significant sordes atque peccata . . . omnis anima, quae humano corpore fuerit induta, habet sordes suas.“ cet. Cf. infra de praeex. animarum.

[2]) Sel. in Gen. 33.

[3]) „Haec enim alterutrum se sequuntur et non separantur ab invicem: sermo mundus in anima et vita irreprehensibilis“. Com. ser. in Matth. 33.

[4]) „Actus enim sive boni sive mali praetereunt, sed secundum sui qualitatem agentis mentem imaginantur et formant, eamque relinquunt vel bonam vel malam, seu poenae, seu praemiis destinandam“. Com. in ep. ad Rom. II. 1. Hoc loco, ut patet, peccatum habituale intelligitur sensu dogmatico; de sensu morali cf. quae supra p. 160. adn. 3. diximus; porro: „Satanam *(τὸν Σατανᾶν)* dicit (autor Ps. 70) peccatorem contra legem agentem et iniquum: peccatorem ob pessimum habitum *(διὰ τὴν χειρίστην ἕξιν)*; contra legem agentem, propter quod naturalem legem *(τὸν φυσικὸν νόμον)* transgrediatur; iniquum vero, quod se ipsum fraudet cognitione Dei *(τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ)*. Sel. in Ps. LXX. 4.

[5]) Hanc distinctionem primum in Aristotele invenimus.

dimur. [1]) Habeat homo naturalem appetentiam cibi et potus; quae si intra certas sufficientiae mensuras continetur, bona est, si excedit mensuram, mala; inest etiam „carni incitamentum naturale, quo misceri feminae, causa reparandae successionis, exposcat, sed si ex hac occasione persuadente peccato declinetur a lege, et naturalis libidinis motus ad illicita concitentur“ [2]) peccatum committitur. [3]) Justitia certe est virtus; si quis autem minus facit quam iustitia patitur, sine dubio iniustus est; sin sub specie iustitiae crudelem exposcit vindictam, ex omni excidit iustitia. [4]) „Qui transfert religionis *(θεοσέβεια)* terminos, is superstitionem *(δεισιδαιμονία)* vel ipsam impietatem *(ἀσέβεια)* prae se fert. Et qui fortitudinis *(ἀνδρεία)* transfert terminos, is audaciam *(θρασύτης)* vel timiditatem *(δειλία)* substituit. Similiter de virtutibus aliis et de dogmatibus et de ipsa fide existimandum est“. [5])

Alia statuuntur peccati genera: Sunt enim, qui ignorantes Deum peccant in tenebris, et vocantur impii; alii, volentes servare Dei mandata, vincuntur fragilitate carnis et illecebris praesentis vitae decipiuntur, et appellantur infirmi; alius

---

[1]) *οἱ ἄνθρωποι ἁμαρτάνοντες γενικῷ λόγῳ διχῶς ἁμαρτάνουσιν, ἢ ὑπερβαίνοντες τὰς ἐντολάς, ἢ ὑποκενοῦντες. Ὅταν γὰρ μὴ ἀπὸ ἐπιστήμης πολιτευόμεθα, μηδὲ γιγνώσκοντες τὰ μέτρα τῆς δικαιοσύνης, σφαλλόμεθα, καὶ ἔσθ' ὅτε ὑπερβαίνοντες τὸν κανόνα φαντασίᾳ τοῦ ποιεῖν τι κρεῖττον ἐκπίπτομεν τοῦ προκειμένου.* Sel. in Deuteron. *οἱ οὖν μὴ ποιοῦντες πάντα, ἢ οἱ πλεῖόν τι ποιοῦντες παράνομοι,* ib. l, c.; in cant. cant. III. vers. 4.

[2]) Cf. supra p. 74. adn. 3; 128. adn. 1.

[3]) In ep. ad Rom. V. 7.

[4]) In ep. ad Rom. V. 7.

[5]) Expos. in Proverb. XXII. 61: „libertas si inter temperantiam suam sit, virtus est, si minus habeat, timiditas, si amplius, temeritas nominatur. Pari modo et prudentia, si in sua mensura sit, virtus est, si minus habeat, imprudentia, si plus quam oportet, malitia appellatur. Et sic in singulis quibusque virtutibus potest aliquis (plus vel minus) sapere, quam oportet sapere. Potest etiam in castitate aliquis plus sapere, quam oportet sapere; minus autem sapit, quam oportet, luxuriosus et iniustus. Ego autem dico, quod et haeretici plus sapiunt de Christo, quam oportet sapere, qui negant eum in carne venisse et natum esse ex virgine, sed coeleste ei corpus assignant . . . in his omnibus, quae supra enumeravimus, neque amplius neque minus fieri debere, modum servare novit sola temperantia“. In ep. ad Rom. IX. 2. Cf. etiam: „praecipue vero hoc observandum est circa sanctam Trinitatem *(ἐπὶ τῆς ἁγίας Τριάδος).* Nam qui Deum non dicit sanctum Spiritum, baptisma destruit; qui vero alios quosdam nominat deos, is deorum populum introducit. Item de rebus singulis patrum constitutiones (quae propterea perseverare debent,) nequaquam oportet commovere“, Exp. in Proverb. XXII. 61.

sciens volensque contemnit mandatum et odit disciplinam Dei ac proicit sermones eius post se, et peccator nominatur". [1]) Ecce definitio nostra de peccatis ignorantiae culpabilis, infirmitatis, malitiae. Hisce quidem infirmitatis peccatis omnes homines saepe quasi inviti fere peccant. Conamur quidem naturalis legis instinctu vel aliis legibus moniti, vitiis aliquamdiu resistere, sed tandem vincimur et inviti opprimimur, ut si quis patienter vult aliquid ferre, „et ad ultimum vincitur iracundia et patitur hoc invitus: irascitur ergo etiam, cum nolit irasci. Hoc etiam timoris vitio accidere solet . . . Vincitur ergo in his singulis, qui nondum spiritalis, etiam contra voluntatem: quia voluntas ista nondum ita fortis et ita robusta est, ut definiat apud se usque ad mortem pro veritate certandum". [2]) His ergo multo peiora peccata sunt malitiae vel nequitiae. „Definiunt quidam *πονηρίαν* i. e. nequitiam spontaneam vel voluntariam esse malitiam. Aliud est enim per ignorantiam mala agere et vinci a malo, alind est voluntate et studio mala facere, et hoc est nequitia. Unde et merito diabolus hoc nomine *πονηρὸς*, i. e. malignus vel nequam appellatur". [3])

Distinctio, gravissimi momenti est inter peccata gravia et levia. Esse omnia peccata eiusdem malitiae et gravitatis prorsus Adamantius negavit: „Sunt ergo mensurae et gradus quidam in his peccatorum qualitate et quantitate distincti, qui inimici sunt Deo". [4]) „Quod inaequalia sint peccata, Scripturis utentibus nulli dubium est. Alia quippe magna, alia minora ab his esse dicuntur". [5]) Eodem loco, quodnam ex omnibus peccatis sit gravissimum, scriptor discutit et id putat peccatum gravissimum, quo diabolus de sublimitate sua exciderit. Cum enim peccata sint inaequalia, hoc „est parva vel maxima, forsitan aliquis inquirat, quod inter universa peccata sit maius; et proclive suscipitur omnium peccatorum esse maius sive fornicationem sive immunditiam sive quodcumque libidinis inquinamentum. Sunt quidem et ista

---

[1]) Com. in ep. ad Rom. IV. 11; Cels. IV. 25.

[2]) In ep. ad Rom. VI. 9. Dei „sustentatio a patientia hoc videtur differre, quod, qui infirmitate magis quam proposito delinquunt, sustentari dicuntur, qui vero pertinaci mente velut exsultant in delictis suis, ferri patienter dicendi sunt". Ib. II. 3.

[3]) In Ps. XXXVI. h. II. 4.

[4]) In ep. ad Rom. VI. 12.

[5]) In Ezech. h. IX. 2.

vere abominabilia atque polluta, sed non talia, quale hoc, quod ab Scriptura quasi maius omnium condemnatur, a quo nos observare debemus. Quod ergo est peccatum maius omnibus peccatis? Utique illud, propter quod et diabolus corruit. Inflatio, superbia, arrogantia peccatum diaboli est, et ob haec delicta ad terras migravit de coelo". Certe ergo „superbia peccatis omnibus maior est, et ipsius diaboli peccatum". [1]) Hanc ob rem etiam superbis resistit Deus et dat humilibus gratiam. [2]) Quidquid est de hoc Origenis iudicio, hoc certe constat eum non incidisse in Stoicorum et aliorum [3]) errorem, putantium esse eiusdem qualitatis et gravitatis omnia peccata. Porro distinctionem peccata inter mortalia et venialia agnoscit. Sunt enim peccata, quae ad mortem vel mortifera nominat, [4]) alia, quae esse levia putat. [5]) Haec quidem est differentia horum

---

[1]) In Ezech. h. IX. 2; est „materia superbiae divitiae, dignitates, gloria saecularis". Ib. l. c. Sel. in Ezech. c. XVI: si de distinctione inter minora et maiora peccata quaereretur, responderi posse: „malitiae summitas superbia est, ipsius malorum auctoris labes". Exp. in Prov. III. 31: „Summa et consummata nequitia superbia appellatur". *ἡ ἄκρα κακία καὶ εἰς τέλος ἐπηρμένη ὑπερηφανία καλεῖται.* — Uti recte dicit Redepenning, cum Origenes primum peccatum sc. diaboli fuisse superbiam dicat, „ist es die Selbstüberhebung in der Einheit des Daseins, der Ichheit, worin Orig. den Ursprung der Sünde findet. Das Geschöpf hört auf das Empfangende zu sein, es sucht für und in sich selber das Gute. Dieser Irrtum, das Selbstische, die Selbstsucht ist die Sünde. Schade, daß nicht Orig. diese Spur verfolgte. Die Kreatur ist das ewig Weibliche, Empfangende im Verhältnis zu dem Schöpfer, ihrer Bestimmung nach. Daß sie sie verläßt, für sich selber sein und gelten, auf sich alles beziehen will, statt auf das All, das Ganze, Gott sich zu beziehen, das ist die Sünde. Da sie nach Orig. lediglich freie That ist, so erscheint bei ihm der Teufel für das vorweltliche Dasein stets mehr als Anfänger, erster Sündiger, als daß er als Verführer dargestellt wäre (S. tom. in Joan. XX. 21. n. 341. *ἀρξάμενος ἀπ' ἀρχῆς*), und folgerichtig ist es, wenn Orig. den Ursprung der Sünde nicht im Nichtwissen finden kann (ib. XXXII. n. 362.), sondern dasselbe als falsches Licht, Irrtum, Schein erst aus der Sünde entstehen läßt. H. in Jud. I. n. 459. Ihr eigentliches Wesen ist *ἑκούσιος κακοποιία.* tom. in Matth. XII. 3. n. 515." Redep. II. p. 326. adnot. 2.

[2]) Com. in ep. ad Rom. VI. 12.

[3]) Jovinianus, monachus Romanus, docebat omnes virtutes, sed etiam omnia peccata esse aequalia, atque proinde omnes iisdem vel poenis punitum iri vel eandem mercedem adepturos; s. Hieronymus (adv. Jovin. II. 30) refutabat haereticum; item s. Augustinus. De sancta virginitate, c. XXVI. Cf. etiam Thom. Aq. S. th. I. I. q. 12. a. 6.

[4]) *πρὸς θάνατον, θανατήφορα,* Com. in Matth. tom. XIII.

[5]) „Esse peccata quaedam ita levia" cet. H. in Levit. XIV. 3.

peccatorum, ut, qui peccaverit ad mortem, „abiectus sit", et amittat communionem sanctorum,[1] qui autem non peccaverit ad mortem, „pollutus sit"."[2] Dici etiam potest peccata mortifera pertinere ad interitum, alia ad damnum tantum animae.[3] Ideo enim peccata illa dicuntur esse ad mortem, quod, quoties quis commiserit tale peccatum, toties moriatur.[4] Si autem, quae sint alia criteria et diversitates specificae inter mortalia et venialia peccata, ex Origene scire quaesieris, frustra quaeres, neque quidquam certi invenies; dicit enim se putare hoc non facile ab hominum quopiam discerni posse.[5] Alia tamen in re rectius ac sagacius iudicat, putans peccata spiritualia graviora esse carnalibus. Carnalia quidem peccata committuntur in vita mala, et haec est „iniquitas", multo autem gravius est falsis dogmatibus inhaerere, quae „impietas" nominatur.[6] „Et malum

---

[1]) Ib. XII. 3.

[2]) Ib. XII. 2.

[3]) H. in Exod. X. 3.

[4]) H. in Levit. XI. 2; „Toties mori credimur, quoties peccamus ad mortem. Unde e contrario, toties resurgimus, et vivificamur, quoties vita digna opera facimus." Ex lib. X. Strom. — Quod ad singulas vocabuli mortis significationes: Mors in Scriptura unum quidem nomen est, sed multa significat. a) separatio corporis ab anima, quae „medium" quoddam est; b) separatio animae a Deo, quae per peccatum venit; haec aperte mala est; (haec mors est, uti alio loco dicit autor: *χωρισμὸς τῆς ψυχῆς ἀπὸ Θεοῦ, ἔρημον εἶναι τοῦ Θεοῦ,* cet.) hanc mortem non facit Deus, neque ea gaudet; c) ipse auctor mortis huius, diabolus, mors appellatur, et ipse est, qui dicitur inimicus Christi novissimus destruendus; d) inferni locus, in quo animae detinebantur a morte, etiam ipse mors appellatur; e) et illa mors laudabilis, qua peccato quis moritur et Christo consepelitur, per quam emendatio fit animae, et vita aeterna conquiritur. In ep. ad Rom. VI. 6.

[5]) „Quaedam peccata ad damnum quidem pertineant, non tamen ad interitum, quia qui damnum passus fuerit, ipse tamen salvari dicitur, licet per ignem . . . quae autem sint species peccatorum ad mortem, quae vero non ad mortem, sed ad damnum, non puto facile a quopiam hominum posse discerni." H. in Exod. X. 3. Similiter de hac difficultate diiudicandi peccata mortalia et venialia loquitur Aug. de civ. Dei XXI. 27. 5.

[6]) „Iniquitas in vita mala, impietas in falsis dogmatibus conspicitur." Sel. in Ps. LXXII. 6. „Capitis peccatum est aliter, quam fides ecclesiae continet, de divinis sentire dogmatibus." H. in Levit. VIII. 11. „Cum (per daemones) in voluptatibus saeculi et carnis deliciis anima decipitur, in parvo capta dicenda est; cum vero aut providentiam negat, aut daemones quasi Deum colit, haec in magno putanda est esse decepta." H. in Jes. Nav. XIV. — Novit Origenes etiam peccata, quae naturae humanae omnino contraria sunt: „contrarias naturae voluptates *(τὰς παρὰ φύσιν ἡδονὰς)* masculorum concubitus *(ἀρσενοκοιτεῖν)* affectantes." Expos. in Prov. V. 74.

quidem est invenire aliquem secundum mores vitae errantem, multo autem peius arbitror esse in dogmatibus aberrare, et non secundum verissimam regulam Scripturarum sentire". Itaque sane „si in peccatis mortalibus puniendi sumus, amplius propter dogmata falsa peccantes". [1])

Quamquam „nemo ob alterius malitiam damnatur", tamen rationem reddere etiam „de alienis peccatis" cogimur, nimirum in quantum eorum aliquam partem habemus. Potest enim fieri, ut, cum ipsi simus mundi a peccato, aliena, ut ita dicam, contagione polluamur, ut si malos homines non reprehendimus, imo fortasse ad peccandum incitamus. [2]) Eodem modo fieri potest, ut aliquis auctor sit peccatorum, quae post ipsius mortem committuntur, sicut etiam alicuius opera bona post ipsius mortem alios ad bene agendum excitant. [3]) Huc pertinet etiam nefandum illud peccatum, quod scandalum *(πρόσκομμα)* vocatur. Hoc peccatum nomen habet ex obice, qui gressum incedentis vel scandentis impedit. [4]) Bene iam Origenes distinguit inter scandalum directum et indirectum. Primum quidem exsistit, „ubi recto itinere ambulanti deceptio aliqua instruitur ad peccandum, et subicitur causa peccati; (sicut et Madianitae ambulantibus in lege Domini Israelitis et custodientibus castitatem subornaverunt mulieres, quae eos deciperent ad peccandum.) Causam ergo praebere peccati hoc est scandalizare". [5]) Non potest esse dubium, quin longe gravius sit eiusmodi scandalum dare aliisque causam praebere peccati, quam peccare solum. Praeexsistit enim malitia in corde seductoris, et cum eam in alios transferre nititur, augetur in ipso; sic certe ceteris paribus committit multo maius peccatum, qui dat,

---

[1]) Com. ser. in Matth. 33.

[2]) „Tertiae est immunditiae species, qua is, qui mundus est, si aliquid contigit immundum, non tam suo peccato, quam aliena contagione polluitur, ut puta ei, qui societur amicitiis et consortio hominis lividi, iracundi, adulteri, et ipse quidem propriis actibus non inseratur sceleribus eius, videat tamen eum et intelligat, quomodo fratrem suum odit et homicida est, vel quomodo insidiatur alienae mulieri, cet. nec deprehensis his discedat eius consortio, iste est, qui contigit immundum . . . et aliena immunditia ipse pollutus est" H. in Levit. V. 10. Cf. etiam Com. in Matth. tom. XV. 13: „Nec fur tantummodo, verum et ipsius in furto p a r t i c e p s ac s o c i u s in vitam non ingredietur."

[3]) „Multi sunt, qui ex hac vita abeuntes vel bonorum vel malorum post se quaedam semina reliquerunt, ex quibus, qui supersunt homines, occasiones vel salutis vel perditionis accipiunt, ut sunt omnes, qui pravas sectas et alienas a Deo inter philosophos condiderunt." cet. In ep. ad Rom. II. 4.

[4]) In ep. ad Rom. VII. 19; Expos. in Proverb. III. 26.

[5]) H. in Num. XXV. 1.

quam qui accipit scandalum. Etiam, quod attulimus, Madianitarum exemplum, hoc docet. Israelitae enim pro peccato suo „pertulerunt vindictam, mediocrius tamen et parcius, hi vero, qui eis fuerunt causa peccandi, multo vehementiori subiacent ultioni". [1]) Huius peccati malitiam esse maximam, quis est qui nesciat? „Scandalizati enim animae sanguis effunditur, cum ceciderit in peccatum", et propterea dicimus eum, qui alterum ad peccatum grave seduxit, interfectorem esse huius animae. [2]) Non ita graviter condemnatur scandalum indirectum. Fieri quidem potest „sive in verbo, sive in facto", sed cum sit minus voluntarium, non tam opus nostrum dicitur, quam diaboli, qui instrumentis nobis utitur ad alios perdendos. Nam „interdum nos putamus dicere adversus aliquem et incaute proferimus sermones, dum contentione agimus et quibuslibet verbis vincere studemus, tunc diabolus ore nostro utitur velut arcu, per quem sagittas dirigat et sagittet rectos corde, eos videlicet, qui nos audiunt ea loquentes, in quibus scandalum patiuntur". [3])

Ne tamen, qui post peccati consuetudinem iustificatus est a Deo, nunc certam omni ex parte esse suam salutem, neque amplius opus esse labore et industria opinetur. „Est enim talis infirmitas in his, qui initia conversionis accipiunt, ut cum velit quis statim facere omne, quod bonum est, non statim voluntatem sequatur effectus. Non statim ut voluntatem quis habuerit converti ad bona, etiam usus boni operis subsecutus est. Cita enim res est voluntas et sine impedimento convertitur, opus vero tardum est, quia et usum et artem et laborem requirit operandi." [4]) Nihilominus, cum homo audivit et sequitur vocem Dei et transeat a vitio ad virtutem, ab ignorantia ad cognitionem Dei, [5]) iam tunc

---

[1]) „Datur vindicta, sed multo gravior in eos, qui scandalizaverunt et qui causam peccati praebuerunt, quam in eos, qui peccaverunt." H. in Num. XXV. 1.

[2]) In Ps. XXXVI. h. III. 3.

[3]) In Ps. XXXVI. h. III. 3. — Quid intersit inter iniquitatem et peccatum, hoc est: „quod iniquitas in his dicitur, quae contra legem committuntur *(ἀνομία)*, peccatum vero etiam illud dici potest, si contra, quam natura docet et conscientia arguit, delinquatur". In ep. ad Rom. IV. 1; aliam distinctionem a multis inter peccatum et delictum factam, nempe esse delictum, si non fiat, quod fieri debebat; esse peccatum, si committatur, quod committere non debeamus, non recipit Origenes, miratur tamen, quod de peccato interdum dicitur esse ad mortem, quod de delicto non dicatur. H. in Levit. V. 4.

[4]) In ep. ad Rom. VI. 9.

[5]) Sel. in Ps. XLV. 7.

excesserunt ex anima peccatorum tenebrae, et fulget pietatis lux, quae naturaliter contraria est tenebris. [1])

Multis modis ad agendum contra Dei legem sollicitamur, variisque tentationibus provocamur et attrahimur ad pecatum. Duo generatim sunt tentationum genera, veniunt quippe tentationes cum a Deo, tum a creaturis. Pro utilitate autem tentat Deus. [2]) „Cum tentat Deus, tentat, ut prosit, non ut noceat. Ac Deus quidem tentat non futuri ignorantia, sed homini facultatem faciens, quod velit operandi propter arbitrii libertatem.“ [3]) Aliarum, quae hominibus oriuntur, tentationum duae sunt species; nimirum oriuntur ex homine ipso et per malignas potestates. [4]) Homo enim constat ex anima et corpore, et utraque pars ad ea inclinatur, quae sibi convenientia sunt. Ita praecipue ex carne et sanguine, vel ex prudentia carnis et sanguinis, quae Deo dicitur esse inimica, tentationes oriuntur. Recte ergo conceditur quaedam peccata esse, quae non a contrariis virtutibus, sed ex naturalibus motibus initium sumant. [5]) Res quidem terrenae quasdam in nos species immittunt, „quae provocent id, quod in nobis infirmum est aut pronum ad deteriora“, ut mala multa dicamus vel faciamus. [6]) Hoc porro in humanis tentationibus maximum est periculum, quod, si carni magis quam debemus, indulgemus, „insolescet necessario adversus spiritum et fortior illo ef-

---

[1]) In Ps. XXXVI. h. II. 7.

[2]) ἐπ' ὠφελείᾳ πειράζει ὁ Θεός. Adnot. in Exod. c. XV.

[3]) Secus autem res se habet in diabolo. Is enim tentat, „ut sibi obsequentes interficiat“. Sel in Exod.

[4]) Cf. Redep. II. p. 354.

[5]) Pr. III. 2. 3. „Caro est, quae respicit semper ad vitia, quae, cum animus tendit ad salutem, illa retrorsum respicit et voluptates requirit.“ H. in Gen. V. 2.

[6]) De orat. 7. Duas nobis esse tentationes vel colluctationes dicit Origenes: 1) cum carne, quae concupiscit et militat adversus spiritum, sive 2) „cum anima omnis carnis, quae nomine corpori, quod inhabitet, consentaneo vocatur principatus, qui et dicitur cor (qualis est eorum lucta, qui tentationibus exercentur humanis)“. Aliae autem non sunt humanae tentationes, sed (Eph. 6. 12) a principibus et potestatibus mundique huius rectoribus, quae tamen tentationes reservatae sunt „praecipue provectioribus et perfectioribus, qui iam non cum carne luctentur et sanguine, sed neque humanis examinentur tentationibus, quas conculcaverunt“. Non recte putat Kohlhofer, (Kempten 1874. p. 284) hoc loco trichotomiam doceri; sed nihil aliud dicit hoc loco Alexandrinus, nisi tentationes carnales oriri ex anima sensitiva, vel ut veteres (cf. Gen. IX. 4; Levit. XVII. 11) putabant ex sanguine; trichotomiam supra satis refutatam esse credimus. De orat. 29.

ficitur. Quod si fiat, eum sine dubio in ditionem suam redactum suis coget legibus ac vitiis obedire". Si autem magis magisque carnis impetus refraenare studemus et coelestia quaerimus, convalescet spiritus et sensibus robustior effectus carnem sibi parere et suis legibus obsequi coget. Atque tunc veram ac rectam inter carnem et spiritum habemus relationem et proportionem. [1])

Reliquae tentationes a malignis spiritibus excitantur. Concedit enim Deus, ut torqueant nos daemones, sed ita tamen, ut insidientur „certis quibusque temporibus et personis". [2]) Singuli autem homines „pro virtutis suae qualitate vel possibilitate tentantur". [3]) Ne ille quidem, „qui legem Domini meditatur die ac nocte, a tentatione immunis est". [4]) In his tentationibus superandis, cum nos omnes infirmi simus, valde indigemus adiutorio divino; est etiam certa mensura humanae naturae et ita „homo fortassis nunquam per se ipsum virtutem contrariam vincere potest, nisi usus fuerit adiutorio divino". [5]) Eoque hoc magis, quia etiam variis dolis atque exquisita malitia tentationibus contra

---

[1]) H. in Levit. IX. 6.

[2]) Pr. III. 2. 7.

[3]) Ib. III. 2. 3.

[4]) De orat. 29; Pr. III. 3. 4: „humana anima, dum in hoc est corpore, recipere potest diversas energias i. e. inoperationes spirituum diversorum malorum ac bonorum; et malorum quidem duplici specie i. e. vel tunc, cum penitus ex integro eorum possident mentem, ita ut nihil omnino eos, quos obsederint, intelligere vel sentire permittant, sicut exemplo sunt hi, quos vulgo energumenos vocant, quos amentes et insanos videmus, quales illi erant, qui in Evangelio a Salvatore curati esse referuntur; vel cum sentientem quidem et intelligentem animum cogitationibus variis et sinistris persuasionibus inimica suggestione depravant, ut exemplo est Judas ad proditionis facinus diaboli immissione provocatus." Ib. l. c.: „Boni vero spiritus recipit quis energiam i. e. inoperationem, cum movetur et provocatur ad bona et inspiratur ad coelestia vel divina, sicut sancti angeli et ipse Deus inoperatus est in prophetis suggestionibus sanctis ad meliora provocans et cohortans; ita sane ut maneret in arbitrio hominis ac iudicio, si sequi velit aut nolit ad coelestia et divina provocantem. Unde ex hoc manifesta discretione dignoscitur, quomodo anima melioris spiritus praesentia moveatur, i. e. si nullam prorsus ex imminenti aspiratione obturbationem vel alienationem mentis incurrat, nec perdat arbitrii sui iudicium liberum, sicut exemplo sunt omnes vel prophetae vel apostoli, qui divinis responsis sine ulla mentis obturbatione ministrabant". — Praecipue sacerdotibus insidiatur diabolus, ut his peccantibus multos ad peccandum alliciat. H. in Ezech. VII. n. 382; itaque sane munus ecclesiasticum *(κλῆρος)* non eo ipso dat vitam aeternam sacerdotibus et ecclesiae ministris. Sel. in Jerem. n. 291; cf. supra p. 162. adn. 3.

[5]) Pr. III. 2. 5.

nos operantur. Quin malas cogitationes saepe „daemones non nudas nobis ingerunt, ne mens statim perspecta illarum absurditate eas reiciat, sed cum aliis quibusdam cogitationibus, quae speciem boni prae se ferunt, malas cogitationes interseminant, idque solum faciunt in perfectis, qui affectuum expertes sunt, nam iis, qui affectibus sunt obnoxii et immundi, etiam aperte iniciunt cogitationes, quas expellere nequeunt". [1]) Et tanta est horum spirituum malitia, ut, cum dolis et blanditiis „suadere" nobis peccatum non semper possint, tamen vehementissimis saepe tentationibus quasi cogere nos velint, ut reiciamus iugum Christi leve et recipiamus onus peccati gravissimum. [2]) Quantacumque autem malitia impugnant nos daemones, tamen „possibile nobis est, cum maligna virtus nos coeperit ad peccatum incitare, abicere a nobis pravas suggestiones et resistere suasionibus pessimis et nihil prorsus culpabiliter gerere". [3]) In his ergo contra daemones suscipiendis omnibus agonibus adiutorium semper habemus divinum, quo fidere debemus. „A Deo autem datur, non ut sustineamus, alioquin nullum iam videretur esse certamen, sed ut sustinere possimus". „Dubium enim non est, quod in omni tentatione adest nobis tolerandi virtus, si tamen nos competenter utamur virtute concessa". [4])

In omnibus tentationibus nobis est, ne succumbamus, modus certus agendi servandus. „Cum ad ea, quae Deo contraria sunt, provocabimur, cogitare proderit, quid nos Deus docere velit, cum

---

[1]) Sel. in Ps. CXXXIX. 6; de orat. 26.

[2]) Exh. ad mart. 32; Non sunt hae contra daemones ineundae pugnae corporales, „sed spiritui adversus spiritum pugna est". Cf. infra p. 174. Sunt autem pugnae malorum spirituum, irae, nimiae tristitiae, desperationes, murmurationes adversus Deum, decidendi de spe, fide cet. Princ. III. 2. 6.

[3]) Eodem modo fieri potest, „ut cum nos divina virtus ad meliora provocaverit, non sequamur, liberi arbitrii potestate in utraque nobis servata". Pr. III. 2. 4.

[4]) Pr. III. 2. 3: non ergo „omni genere debeat vincere, qui tentatur". Cf. supra p. 109. adn. 3; 106. a. 2. Thom. Aq. c. gent. III. 89. Ut divinam „providentiam" salvaret, Origenes rationem potissimam omnium tentationum dixit esse peccata ante mundi constitutionem commissa. „Ut absque omni iniustitiae culpa providentia demonstraretur, nisi priores quaedam fuisse eis causae dicantur, quibus, antequam in corpore nascerentur animae, aliquid contraxerint culpae in sensibus vel motibus suis, pro quibus hoc merito pati a divina providentia iudicatae sunt." Princ. III. 3. 5. et totum hoc cap. Cf. infra, p. 175. adn. 7.

ait: Ego sum Dominus Deus tuus, Zelotes"; [1]) nihilque „aeque animam consolatur, ac memoria Dei". [2]) Hoc etiam, quod maxime tutos nos reddit, petendum est, ne initio decipiamur, sed simulatque nos tentari videmus, statim pugnemus adversus hostes animae nostrae. [3]) „In succedentium" autem „sibi tentationum intervallis stemus et ad futura nos comparemus, ut, quidquid contigerit, nos studiosissime compositos ostendat". [4]) Non quidem hoc sufficit, „aliqua vitia subiugare, aliis vero cedere et subiacere". [5]) In adolescentia cum maxime a tentationibus torqueamur, „puberibus pueris lascivientibus et in Venerem prurientibus" freni iniciendi sunt „admonitis non solum, quanta libidinis infamia sit, sed et quantum inde animae improborum immineat periculum, quas poenas initura sit, quae illum supplicia maneant". [6]) Sed tamen, cum „omnis homo, quantum ad fragilitatem humanam spectat, et infirmus et promptus ad lapsum" sit, [7]) divinae gratiae et adiutorio divino confidere debemus; „qui enim cum Jesu militat, incolumis debet redire de proelio", nullo peccati telo vulneratus. [8]) Nam „D. N. J. Chr. bellat adversum virtutes contrarias et eicit eas de civitatibus, quas possident, i. e. de animabus nostris, ne ultra regnet in nobis peccatum: ut posteaquam interemerit regem peccati de civitate animae nostrae, fiat anima

---

[1]) Exh. ad mart. 9.

[2]) *οὐδὲν οὕτω παρακαλεῖ ψυχὴν ὡς μνήμη Θεοῦ.* Sel. in Ps. LXXVI. 4.

[3]) Exp. in Proverb. V. 44; ib. l. c.: „est itaque tutum maxime, ne initio decipiamur". cet.

[4]) De orat. 29.

[5]) H. in Gen. XV. 3. „Qui ab ira quidem aut tristitia aut reliquis affectibus movetur, non abstinet vero se ab ira aut tristitia aut aliquolibet affectu turbatus est." Nimirum hi sunt mali affectus. Cf. Sel. in Ps. LXXV; ib. LXXVI. 5; supra p. 33. a. 1. 134. adn. 5.

[6]) Cels. III. 56. Vitium ergo per se ipsum turpe putat scriptor, *οὐ μόνον τὸ ἐν τοῖς ἁμαρτανομένοις αἰσχρόν.* Ib. IV. 26.

[7]) In Ps. XXXV. h. III. 8.

[8]) H. in Jes. Nav. XII. 2. — Cf. etiam Princ. III. 1. 4: „si eruditioribus viris et in divinis institutionibus roboratis huiuscemodi irritamenta provenerint, memores continuo sui, ea, quae dudum meditati sunt, et quibus eruditi sunt, in memoriam revocantes, et sanctioris se doctrinae adminiculis munientes respuunt ac refellunt omnem incitamenti illecebram atque adversas concupiscentias insitae sibi rationis obiectione depellunt". Cf. Mehlhorn l. c. p. 240: „Der Begriff des Charakters fehlt ihm (Orig.) durchaus nicht . . . Dieser Charakter bildet sich nun nach Origenes recht eigentlich in dem großartigsten Sinne des Wortes in dem Strom der Welt." cet.

nostra civitas Dei, et regnet in ea Deus". [1]) Et tunc est pax in anima nostra: „pax enim redditur animae, si ab ea hostes sui, peccata et vitia propellantur". [2]) Magnum habemus in omnibus certaminibus etiam hoc solatium, quod boni angeli et sancti auxilio nobis adsunt. Nam „ego sic arbitror, quod omnes illi, qui dormierunt ante nos, patres, pugnent nobiscum et adiuvent nos orationibus suis". Atque his sanctorum orationibus nostras iungamus ad vincendum oportet; „nam armis nobis pugnandum est non corporalibus, sed spiritalibus hisce, orationibus, verbi Dei meditationibus, operibus ac sensibus rectis". [3])

Tentatio quaelibet „probatio et examen nostrae erga Deum caritatis" putanda est". [4]) Habent interdum daemones a Deo potestatem tentandi et torquendi homines, qui vitiis et peccatis se tradiderunt, ut ita ad viam correctionis et salutis redigantur, vel etiam ut ii, qui rationabiliter et sapienter vivunt, probentur; horum enim virtus et habitus bonus, cum prius neque ab angelis neque ab hominibus noscantur, per tentationes manifesta fiunt spectatoribus illis cum invisibilibus, tum visibilibus; haec ergo in

---

[1]) H. in Jes. Nav. XIII. 1; per Jesum fracta est potentia daemonum: „Isti enim omnes daemones ante adventum Domini et Salvatoris nostri, quieti et securi humanas animas possidentes, in earum mentibus corporibusque regnabant." Cum autem advenisset Dominus „edocens nos, ut segregati ab omni contagione peccati vivamus, ut libertatem suam [cf. supra p. 102. a. 1.] atque imaginem Dei, in qua ex initio creata est, anima unaquaeque recipiat, ista de causa ab illis iniquis veteribus possessoribus earum pugnae exoriuntur et proelia". H. in Jes. Nav. XIV. 1.

[2]) Ib. XIV. 1.

[3]) H. in Jes. Nav. XVI. 5 Cf. in cant. cant. III. n. 74. vers. 4: „sed omnes sancti, qui hac de vita decesserunt, habentes adhuc caritatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum et iuvare eos precibus suis atque interventu suo apud Deum non erit inconveniens." Angelos tutelares *(ἄγγελοι τηροῦντες)* hominibus semper adesse saepissime dicit Origenes, cf. in Matth. tom. XIII. n. 576; in Luc. h. XXXV. n. 973, II. n. 945; atque etiam ante susceptum baptismum in nobis est angelus custos, tom. in Matth. XIII. n. 607; cf. ib. XIII. 26. Sicut Origenes etiam singulis civitatibus et populis angelum tutelarem addictum esse, ita dicit non solum singulis hominibus sed etiam civitatibus malum angelum constitutum esse, qui eos tentaret et vexaret. Cf. Princ. III. 3. 2—3; II. 3. 4; h. in Gen. IX. 3; Cels. VIII. 34. In ep. ad Rom. I. 18. De Clem. Al. cf. Redep. II. p. 358. adn. 3: „Die Engel über Völker und Städte kennt auch schon Clemens; daß jeder Einzelne seinen Schutzengel habe, bezweifelt er, indem er nur bei ausgezeichneten Menschen, Lehrern und Vorstehern einen solchen Begleiter vermutet." Strom. VI. p. 822.

[4]) Exh. ad mart. 6.

tentatione et calamitatibus ostendenda pietas causa est, cur admittantur in illis tentationes. [1]) Imo, quae ita latent in anima nostra, ut nobis ipsis sint ignota, manifestantur tempore tentationis, ita ut ipsi melius cognoscamus, quam fragiles et ad peccatum simus proclivi, ac si corrigi volumus, discamus, qui mali habitus, quaeque vitia sint emendanda. [2]) Sic, e. g. mala voluntas in Cain non tunc demum orta est, cum fratrem interficeret, sed iam diu latebat in corde eius et Deo, animarum scrutatori, iam diu cognita erat. [3]) Sicut porro „ex malorum consideratione decus bonorum lucidius iudicatur“, [4]) ita etiam ex tentationibus vera exprobatur et augetur virtus. Multi enim sunt, qui „cum in tentationes incidissent superatu difficiles, et flamma qualibet ardentiores, nihil ab ipsis passi sunt“. Etsi ergo in his omnibus non sit „unum omnium meritum, neque unus omnium profectus“, [5]) tamen certe per haec refutatur opinio multorum, „qui, dum nimis arduum iter virtutis exponunt, dumque multas eius difficultates, multa pericula et lapsus enumerant, ne ineundum quidem id aut incipiendum iudicant“, [6]) licet memoria infirmitatis nostrae [7]) dubitatioque [8]) de tentatione perfecte superata valde ad capessendam humilitatis virtutem nos incitet.

Revera ergo „omnis homo infirmus est et, quantum in se est, succumbit habetque opus suffulciente cadentes aut restituente deiectos“. [9]) Hanc tamen gratiam nunquam Deus hominibus negavit. Sed quia omne peccatum est aversio a Deo,

---

[1]) Cels. VIII. 31.

[2]) De orat. 29. Magni momenti est se ipsum noscere. „Noscit autem aliquis semetipsum, cum viderit, bonamne an habeat vitae rationem malam, multumne a via virtutis declinet“. „Pervulgatum illud apud Graecos dicterium ‚nosce te ipsum‘ a sapiente Salomone praeoccupatum est.“ Scholia in cant. cant. I. vers. 7.

[3]) Ib. l. c.

[4]) H. in Gen. I. 10.

[5]) Ib. II. 3. Cf. supra p. 151. a. 1.

[6]) H. in Exod. V. 4.

[7]) Excerpt. in Ps. XXXVI. 17. Hisce satis refutatur, quod dicit Huet. Origeniana I. c. II. q. 7. n. 5, Origenem putare „impellenti nos ad malum libidini per se (nos) posse obsistere“. Cf. supra p. 106. adn. 2. 172. a. 4.

[8]) „Sed quis ita beatus est, qui sic tentationum pondus expediat, ut nulla menti eius cogitatio ambiguitatis obrepat?“ H. in Exod. V. 4.

[9]) Excerpt. in Ps. XXXVI. 17.

peccator se convertere debet ad Deum, priusquam Deus remittere ei peccata possit. Nihil tamen ipsi nequissimo peccatori desperandum; „non enim superat bonitatem Dei malitia delictorum“, [1]) atque certissime placet Deo commotio laudabilis peccatoris, quae est „animae rationalis a malitia et ignorantia ad virtutem et scientiam translatio“ *(σάλος ἐστιν ἐπαινετὸς ψυχῆς λογικῆς ἀπὸ κακίας καὶ ἀγνοίας ἐπ᾽ ἀρετὴν καὶ γνῶσιν μετάθεσις).* [2]) Quomodo fieri putarit Origenes hanc peccatoris ad Deum conversionem et peccatorum remissionem, difficile est disquirere; praecipue tamen duo esse huius remissionis media dicit, nempe baptisma, quo „remittuntur iniquitates“, et poenitentiam, per quam „occultantur peccata“. [3]) Generatim quidem etiam per alia bona opera potest effici peccatorum remissio, ut sunt martyrium, eleemosynae, remissio eorum peccatorum, quae alii contra nos commiserunt, aliorum errantium fraterna correctio, abundantia caritatis. [4]) Sed proprie ad remissionem peccatorum haec duo spectant, baptisma, [5]) et poenitentia, quare fusius de his sacramentis agemus.

Baptisma est sacramentum primum et maxime necessarium omnibus, qui veram felicitatem acquirere volunt *(χαρισμάτων θείων ἀρχὴ καὶ πηγή).* [6]) Nullatenus enim possumus „remissionem peccatorum sine baptismate“ accipere. [7]) Duo in hoc sacramento

---

[1]) H. in Levit. IX. 9. Etiam Cl. Al. nullum peccatorem a facultate accipiendae peccatorum veniae eximit. Strom. IV. p. 634 Si Strom. II. p. 459. poenitentiam post baptisma unam esse dicit, ipse sicut Origenes hoc dicunt de poenitentia canonica. Cf. infra h. cap.

[2]) Sel. in Ps. XXXII. 8.

[3]) *ἀφίενται μὲν αἱ ἀνομίαι διὰ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, καλύπτονται δὲ αἱ ἁμαρτίαι διὰ τῆς πικρᾶς μετανοίας.* Sel. in Ps. XXXI. 1.

[4]) H. in Levit. II. 4. — Correctionis fraternae leges explicantur h. in Levit. III. 2. sq.

[5]) „Der jetzige Weltäon . . . in ihm ist der Erlöser erschienen, der zu unzähligen der früheren Weltreichen nicht hernieder kam (Pr. II. 173), er bringt Vergebung der Sünden: in der Taufe, durch welche wir zu dem höhern Leben wieder hinaufgeboren werden, empfangen wir sie. Da wird die Schuld des ganzen frühern vorweltlichen und irdischen Lebens hinweggenommen (et pecc. originale, uti adiungimus; cf. infra de praeexist. animarum); aber es erstreckt sich diese Vergebung auch nur auf die Sünden vor der Taufe (in ep. ad Rom. III. 516. Cels. III. n. 488). Was wir später sündigen, soll von uns selber, durch eigene von Gott unterstützte Kraftanstrengung, durch Almosen, Buße, Versöhnlichkeit, stete Bemühung um das Gute (h. in Levit. II. n. 190; ep. ad Rom. II. n. 176), und vollständig, wenn der Herr es vergönnt, durch die Bluttaufe des Zeugentodes gesühnt werden.“ Redep. II. p. 25.

[6]) In Joan. tom. VI. 17.

[7]) *ὅτι οὐκ ἔστιν ἄφεσιν ἁμαρτημάτων χωρὶς βαπτίσματος λαβεῖν.* Exh. ad

suscipiendo distinguuntur momenta: remittuntur peccata, et infunditur gratia, ita ut, qui baptizatus est, vere sit filius Dei adoptivus et haeres nominetur regni coelestis. Utrumque invenitur etiam in doctrina Adamantii. Plane contraria sibi sunt gratia et peccatum, et hanc ob rem primum divinae gratiae opus est tollendi peccata; primus ergo effectus baptismi est remissio peccatorum; alter baptismi effectus est iustificatio proprie dicta. „Amputantur enim et exsecantur ab hominibus peccata, cum in baptismo donetur remissio peccatorum.“ [1]) Participes efficimur Spiritus sancti et virtute eius implemur *(πληροῦσθαι ἢ μετέχειν θείου πνεύματος).* [2]) Hunc effectum non habebat baptisma Joannis; qui enim „baptizati erant in Joannis baptismo et neque, an Spiritus sanctus esset, audierant, denuo ab apostolis baptizantur, quia regeneratio *(ἀναγέννησις, παλιγγενεσία)* non apud Joannem sed apud Jesum per apostolos fiebat, atque etiam regenerationis quod dicitur lavacrum, quod fiebat cum renovatione spiritus *(μετὰ ἀνακαινώσεως γινόμενον πνεύματος),* qui etiam nunc praefertur aquae, quoniam a Deo est, sed non omnibus post aquam imprimitur et ingeneratur“. [3]) Ita si post baptismum susceptum Dei spiritus participes effecti sumus, non solum „familiaritatem“ *(οἰκειωθῆναι τῷ Θεῷ)* habemus cum Deo, sed Dei „templum“ *(ναὸς τοῦ Θεοῦ)* sumus. [4]) Ita ipse Deus „eas animas, quae Verbi eius ac sapientiae efficiuntur capaces, una cum Filio suo inhabitans, purum sibi eas seque dignum efficit templum“. [5]) Baptisma cum ergo sit sacramentum regenerationis, Deus vere pater noster est, et Jesus frater, ita ut Jesus ipse nos invitet: „discite ergo, quantum a Patre meo donum acceperitis, cum per regenerationem in

---

mart. 30; cf. Tertull. de bapt. 12: „praescribitur nemini sine baptismo competere salutem“. Aug cont. donatist. IV. 22; Ambros. lib. de iis, qui mysteriis initiantur, c. IV.

[1]) In cant IV. 88.

[2]) Cels. IV. 5.

[3]) Com. in Joan. tom. VI. 17.

[4]) Cels. IV. 26: *τόπος Θεοῦ ψυχὴ καθαρά.* Sel. in Ps. LXVII. 7. *οἶκος κυρίου ψυχὴ καθαρά.* In Ps. LXXXXII. 5. Cf. ad hoc Pitra anal. sacr. III. p. 175.

[5]) Pr. I. 1. 2; cf. exh. ad Mart. 49; Cels. V. 1; VIII. 18; in Matth. tom. XVI. 23.

me factam accepistis spiritum adoptionis: ut vocemini filii Dei et fratres mei“. [1]) Haec est „nobilitas filiorum Dei“. [2])

Nimirum si adulti in remissionem peccatorum et ad veram iustificationem i. e. digne hoc sacramentum volunt suscipere, recta requiritur dispositio. [3]) Atque, quae in hoc baptismatis

---

[1]) *μάθετε οὖν, ὅσην δωρεὰν ἀπὸ τοῦ Πατρός μου εἰλήφατε διὰ τῆς ἐν ἐμοῖ ἀναγεννήσεως τὸ τῆς υἱοθεσίας πνεῦμα ἀπειληφότες, ἵνα χρηματίσητε υἱοὶ Θεοῦ, ἀδελφοὶ δὲ ἐμοῦ.* De orat. 15. n. 223.

[2]) *ἀλλὰ καὶ εὐγένειαν τίς ἔτι κυρίως ὀνομάσει τὴν τετριμμένην λέγεσθαι παρὰ ἀνθρώποις, νοήσας εὐγένειαν υἱῶν Θεοῦ.* De orat. 17. n. 226; cf. ib. 16, 22, 26, 27, 28; Cels. I. 57. 59. Princ. IV. 32; aliis locis sub mystici matrimonii similitudine animam baptizati cum Deo coniunctam dicit Origenes, in Exod. h. VIII. 5; in Num. h. XX. 2; in Matth. tom. XVII. 21; praecipue autem in cant. cant. — Dolendum est, quibus praeiudiciis impleti protestantes tractent nostros patres et scriptores; dicit Redep. II. p. 421, 422: „Die Taufe ist die äußerliche Darstellung jener großen innern Veränderung (regeneratio); sie ist notwendig, weil in dieser niedern sichtbaren Welt, der wir jetzt angehören, jedes Innerliche auch in die Erscheinung treten muß, und wie alle sichtbaren Vorgänge, auch des Heilandes Erscheinen auf der Erde, seine äußern Thaten und Wunder, Symbole eines Höhern und Geistigen sind, so ist auch das Wasserbad Symbol der Reinigung der Seele (tom. in Joan. VI. 17). Diese Reinigung muß vorhergegangen sein; man muß schon rein nicht nur von Verbrechen, sondern auch von den leichten Versündigungen geworden sein vor dieser Weihung, die nur für Heilige und Reine ist.“ Sed ‚ut quid perditio haec‘? Neglegit omnino Redep., quod Origenes pro adultis, ad sacrum regenerationis lavacrum accedentibus, plane consentiens cum dogmate omnium cuiusvis aetatis theologorum dispositionem dicit adesse debere, ut quis digne sacramentum suscipiat; dicit Redep.: „Wer ohne seine Sünden abzulegen, unbußfertig dieses Sakrament empfängt, empfängt nur ein um so schwereres Gericht“; idem putat Harnack: „daß im System des Origenes kein Platz ist für eigentliche Gnadenmittel“. Ex supra dictis, quam falsa sit ista opinio, iam satis apparet, sed id quod contendit Redepenning, etiam ex textu Origenis ab ipso citato, nullatenus probatur. Vocatur baptisma „lavacrum aquae, symbolum et nota exsistens purificationis animae ablutae ab omni sorde *(ῥύπος)* malitiae *(ὕδατος λουτρὸν, σύμβολον τυγχάνον καθαρσίου ψυχῆς).* Com. in Joan. VI. 17. Est quidem symbolum baptisma sed non solum symbolum, ut supra demonstravimus; atque etiam ipso hoc loco Adamantius advenisse dicit Spiritum sanctum „his qui baptizabantur **praestruente** viam aqua *(προευτρεπίσαντος αὐτῷ τοῦ ὕδατος τοῖς γνησίως προσιοῦσιν ὁδὸν)* his, qui sincere ad ipsum accedebant“. Ib. l. c.; cf. insuper in ep. ad Rom. V. 8. n. 561; Com. in Matth. tom. XV. 23, h. XIV. in Luc. — „Simon baptismum acceperat, sed quoniam cum hypocrisi accessit ad gratiam, repudiatur a dono Spiritus sancti.“ In Num. h. III. 1.

[3]) In Joan. tom. VI. 18; in Ezech. h. VI. 5; in Num. h. III. 1; in Luc. h. XXI; Cels. III. n. 487; in ep. ad Rom. V. n. 560, 561.

pacto semel Deo promiseris, nunquam iam retrahi et revocari possunt, [1]) quare iterare susceptum baptisma omnino non licet. [2])

Sed est etiam aliud baptisma, „eminentius illo baptismate, quod per aquam traditur". [3]) Christus enim „profusionem sanguinis sui baptisma nominavit". Propterea autem eminentius est martyrii hoc baptisma, quia, aquae baptismate „accepto, valde pauci sunt ita beati, qui id immaculatum usque ad exitum vitae servare potuerint. Hoc vero baptismo qui baptizatus fuerit, peccare iam ultra non potest; ibi peccata dimissa sunt, hic ex-

---

[1]) H. in Num. XII. Cf. etiam Sel. in Ps. h. in Ps. XXXVIII. 5: „Ecce hic Christianus dicebatur et signo Christi signabatur in fronte, meas autem voluntates et mea chirographa gerebat in corde. Ecce iste, qui mihi et operibus meis renuntiavit in baptismo, meis rursum operibus se inseruit meisque legibus paruit." — De signo crucis *(τῷ τοῦ σταυροῦ χαρακτῆρι)* cf. etiam Sel. in Ez. IX. n. 424: litera Thau figuram crucis referebat, atque vaticinium erat „illius signi, quod apud Christianos in fronte effingitur, quodque fideles omnes faciunt, quidquid operis aggrediantur ac maxime vel precum vel sacrarum lectionum initio".

[2]) Exh. ad mart. 30. cf. 17. Infra p. 180.

[3]) Liceat nobis hic brevi sermone, quae de ritu huius sacramenti in scriptis Adamantii invenimus, exponere. H. in Num. XIII. 2. n. 316: „Recordetur unusquisque fidelium, cum primum venit ad aquas baptismi, cum signacula fidei prima suscepit et ad fontem salutaris accessit, quibus ibi tunc usus sit verbis, et quid renuntiaverit diabolo: non se usurum pompis eius, neque operibus eius, neque ullis omnino servitiis eius ac voluptatibus pariturum." H. in Exod. VIII. 4. n. 158: „Cum ergo venimus ad gratiam baptismi, universis aliis diis et dominis renuntiantes, solum confitemur Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum." In Joan. VI. 17. n. 133 sacrum baptisma ab Origene dicitur esse principium et fons „munerum divinorum propter potentiam invocationum adorandae triadis." *τῆς δυνάμεως τῶν τῆς προσκυνητῆς Τριάδος ἐπικλήσεων.* H. in Ezech. VI. 5. n. 379: „Oportet ergo eum, qui renascitur, utique in Christo renascentem rationabile et sincerum lac desiderare: et priusquam rationabile et sincerum lac desideret, debet sale saliri et pannorum involucris colligari, ne dicatur ad eum: sale non es salitus, et pannis non es involutus." Com. in ep. ad Rom. VI. 8. n. 561 Chrisma et ‚sindon munda' commemorantur: sumus „baptizati in aquis istis visibilibus et in chrismate visibili"; ib. l. c.: „propterea curae fuit Spiritui sancto tradere per scripturas, quod et sepulcrum novum fuerit, in quo sepultus est Jesus, et quod in sindone munda obvolutus sit, ut sciat omnis, qui consepeliri vult Christo per baptismum, nihil vetustatis ad sepulchrum novum, nihil immunditiae ad mundam sindonem deferendum". Cf. h. in Jes. Nav. IV. 1: „Cum catechumenorum aggregatus es numero . . . si ad mysticum baptismi veneris fontem et consistente sacerdotali et Levitico ordine initiatus fueris venerandis illis magnificisque sacramentis," cet.

clusa". [1]) Martyrium etiam aliam ob causam est res summi momenti: cum nemo possit „remissionem peccatorum sine baptismate accipere", non tamen si peccavimus, possumus „iuxta evangelicas leges iterum baptizari aqua et Spiritu in remissionem peccatorum", sed datum est „nobis martyrii baptisma (*βάπτισμα ἡμῖν δίδοται τὸ τοῦ μαρτυρίου*). Atque „attende etiam, num martyrii nostri baptisma (*κατὰ τὸ μαρτύριον βάπτισμα*), ut illud Christi mundi purgatio fuit, multorum sit etiam, qui per id lustrentur, purgatio": atque „eorum animae, qui propter testimonium Jesu securi percussi sunt, coelesti altari non astant frustra, sed precantibus remissionem peccatorum ministrant". [2])

Sed tamen, cum non omnes peccatores effuso sanguine remissionem peccatorum post aquae baptisma commissorum accipere possint, aliud debet esse remedium, quo remittantur peccata. Supra quidem audivimus multa esse, quibus putet Origenes remissionem quaeri peccatorum, sed certe non eadem his omnibus ratione. Cum enim res, quas enumerat Alexandrinus, sint tam variae et diversae, certissime aliae aliis magis sunt idoneae ad efficiendam peccatorum veniam; [3]) atque fortasse non erramus putantes omnes quidem has res esse media tantum remota conversionis et iustificationis, solum tamen medium proximum et proprium remissionis peccatorum esse poenitentiam; poenitentia enim est „via dura et laboriosa", cum lavat peccator in lacrimis stratum suum, et fiunt lacrimae suae panes die ac nocte". Atque haec poenitentia est sacramentum, sicut est etiam sacramen-

---

[1]) H. in Judices VII. 2.

[2]) Exh. ad mart. 30; non possum assentire iis, quae dicuntur in adnotatione facta in hunc locum M. 11. p. 602. Putant enim editores ex his Origenis verbis *βαπτίσασθαι ὕδατι καὶ πνεύματι εἰς ἄφεσιν ἁμαρτημάτων*, *καὶ ὅτι βάπτισμα ἡμῖν δίδοται τὸ τοῦ μαρτυρίου* testimonium tradi baptismi fluminis, flaminis, sanguinis, quia sine dubio verba *ὕδατι καὶ πνεύματι* respiciunt unum sc. aquae baptisma. Recte tamen invenitur triplex hoc baptisma in Tertull. de pat. 13; de pudic. 22.

[3]) Recte hoc etiam Atzberger l. c. p. 383. dicit; optime tamen hoc exponitur Katholik, 1865. Die Lehre des Origenes über die Buße: „Da die Buße eine schmerzliche und mühselige Art der Sündennachlassung ist, eignet sie sich offenbar besonders zur Vergebung der Todsünden. Läßliche Sünden mögen hingegen mehr durch Almosen u. s. w. Verzeihung erlangt haben. Sonach wäre die Buße im Unterschiede von den übrigen Sühnungsmitteln vorzüglich dazu bestimmt, dem gefallenen Christen Verzeihung der Todsünden zu erwirken, wie dieses die Taufe dem Ungläubigen gegenüber thut." p. 417; cf. 418.

tum baptisma.[1] Alio enim modo remittuntur peccata in novo, atque in vetere foedere. Pro (quibusdam) peccatis mortalibus in vetere foedere „non erat lacrimis locus, nec emendationi ulla concedebatur facultas, sed omnimodo puniri necesse erat (morte), qui incurrisset in legem. Hoc autem servabatur et in singulis quibusque criminibus, quibus erat poena mortis ascripta". Haec autem mors liberabat a crimine et dabat peccatorum remissionem: „receperunt enim peccatum suum, et consumpta erat criminis poena", neque „vindicabit Dominus bis in idipsum".[2] Alia autem peccata, praesertim levia, sacrificiis remitti poterant, et hanc ob rem „ad offerendas pro peccatis victimas sacrificiorum ordo dirigitur", itaque sacrificabat pontifex „pro suis" et „pro populi delictis".[3] „Hostia autem cum immolatur, ad hoc immolatur, ut eorum, pro quibus iugulatur, peccata purgentur".[4] Sed quia lex veteris foederis umbram tantum habebat „futurorum bonorum",[5] his quidem sacrificiis remittebantur peccata,[6] non tamen hostiae habebant vim remittendi obiectivam et universalem, neque hanc habebant vim in semetipsis sed maxime pendebant a cooperatione delinquentis. Tunc enim tantum, cum intelligit „se, qui peccavit, et poenitet, et conversus ad Dominum contribulati spiritus hostiam iugulat", sociatur „his,

[1]) H. in Levit. II. 4; cf. Katholik l. c.: „Da die christlichen Väter vielfach von der Ansicht ausgingen, im Christentum gebe es eigentlich nur ein Sühnungsmittel, die Taufe, da die Wiedergeborenen ja meist dem neuen Leben treu blieben (p. 416), so glaubt Dallaeus diese Ansicht auch dem Origenes zuschreiben, und damit die gelehrte wahre Sakramentalität der Buße absprechen zu können"; (417) cf. ib.: „Die Buße ein Sakrament." p. 429—437; p. 434: „Origenes kennt also christliche Handlungen, die Heilsmittel sind, denn das Heil ist in seinem Anfange und Verlauf durch sie bedingt. Diese Handlungen sind Gnadenmittel, denn es wird durch sie die vom Erlöser verdiente Gnade den Menschen appliziert. Von diesen Handlungen ist die Taufe nach Orig. unbestritten ein Sakrament. Nun ist aber die Buße dem gefallenen Gläubigen gegenüber das Surrogat der Taufe, also ist auch sie ein Sakrament. Die Buße ist ein Sakrament, denn Origenes schreibt ihr dieselbe Wirkung zu, wie der Taufe; sie hat ihre Kraft vom Erlösungstode Christi, sie wendet die Verdienste dieses Todes dem zu, der sich ihr unterwirft, sie bedingt das Heil des Empfängers, und sie vermittelt diese Kraft, dieses Heil, diese Gnade durch ein äußeres Zeichen. Darin aber besteht und bestand von jeher in der katholischen Kirche der Begriff und das Wesen eines Sakramentes."

[2]) In Levit. h. XI. 2.

[3]) Ib. II. 3.

[4]) H. in Num. X. 2; in Levit. V. 3.

[5]) In Levit. h. X. 1.

[6]) Cf. h. in Levit. 5. 3; in ep. ad Rom. III. 8.

quae pertinent ad Deum". [1]) „Secundum hoc ergo, quod hostia est, profusione sanguinis sui propitiatio efficitur in eo, quod dat remissionem praecedentium delictorum: quae tamen propitiatio ad unumquemque credentium per viam fidei venit". [2]) Pro omnibus autem hominibus Christus se ipsum sacrificium patri obtulit, quo universalis omnium hominum redemptio obiective effecta est; itaque non iam oportet mane et vespere agnum immolari, ut fiebat in vetere testamento, sed Christus ipse factus est agnus (*ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ*), „suo ipsius sanguine nos peccatis venditos redimens". [3]) „Omnis quidem pene hostia, quae offertur (in vetere foedere) habet aliquid formae et imaginis Christi, in ipsum namque omnis hostia recapitulatur in tantum ut, postquam ipse oblatus est, omnes hostiae cessaverint, quae eum in typo et umbra praecesserant". [4]) Itaque Jesus, qui „sane peccata nostra accepit et aegre affectus est propter iniquitates nostras, in seque facta est punitio, quae nobis debebatur, ut pacem recipiamus, dum erudimur castigati", libenter se obtulit, „pro toto mundo mortem obiturus, ut totus mundus purgaretur illius sanctitate, alioquin perdendus, ni pro eo servando mortem oppeteret". Erat enim „solius Jesu, posse omnium peccati onus in se recipere per crucem pro omnibus", et nos „ex cruce illi obveniente sanati" sumus. [5])

---

[1]) H. in Levit. V. 3.

[2]) In ep. ad Rom. III. 8. M. 24. p. 956. C.

[3]) Com. in Joan. tom. VI. 35.

[4]) In Levit. III. 5; cf. in ep. ad Rom. III. 8; VI. 12; IX. 1; in Joan. tom. XXVIII. 16.

[5]) *τάχα δὲ καί, ἐπεὶ ‚τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἡμεῖς ἰάθημεν'*, *εἴποιμεν ἂν οἱ ἰαθέντες ἐκ τοῦ σταυροῦ ἐλθόντος αὐτῷ τοῦ μώλωπος.* Com. in Joan. tom. XXVIII. 14. n. 393; cf. ib. l. c.: *καὶ οὗτος γε τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἔλαβε . . . καὶ ἡ ὀφειλομένη ἡμῖν εἰς τὸ παιδευθῆναι καὶ εἰρήνην ἀναλαβεῖν κόλασις ἐπ' αὐτὸν γεγένηται.* Mortuus est Jesus *ὑπὲρ τοῦ λαοῦ*, *καὶ διὰ τοῦτον οὐχὶ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπώλετο*, ib. l. c.: *ὑπὲρ ὅλου κόσμου*, *ἵνα πᾶς ὁ κόσμος καθαρθῇ ἀναδέξασθαι ἐπὶ καθαρσίῳ αὐτοῦ, ἀπολομένου ἄν, εἰ μὴ ἀνεδέξατο τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ ἀποθανεῖν.* — De Origenis redemptionis doctrina cf. Sträter, Die Erlösungslehre des hl. Athanasius, Freiburg 1894. p. 7—10, de redemptione eiusque effectibus Redep. II. p. 404, 414. Fueritne absolute necesse, ut Christus nos redimeret, cf. Bigg l. c. lect. VI. p. 211: „For God', says Origen in language that seems, but only seems, to anticipate Anselm, ‚is just, and the just cannot justify the injust; therefore He willed the intervention of a Propitiator, that those might be justified by faith in Him, who could not be justified by their own works'." Cf. in Rom. III. 8; IV. 8; cf. supra p. 154. adnot. 5. — Ex iis, quae supra citavimus, refellitur quod dicit Klein l. c. p. 34: „Der Heilswert seines Todes

Tantum cum habeamus pontificem, qui, seipsum Deo offerens hostiam redemptionis, omnes homines suo sanguine redemit, alia certe est via remittendi peccata in novo foedere atque in vetere. Non iam est poena mortis in lege Christi. Itaque e. g. „apud christianos, si adulterium fuerit admissum, non est praeceptum, ut adulter vel adultera corporali interitu puniantur, nec potestas data est episcopo Ecclesiae adulterum praesenti morte damnare, sicut tunc secundum legem fiebat a presbyteris populi". Est enim in Evangelio „veniae largitas" et „Evangelium Christi per indulgentiam resolvit" peccatores. Nunc enim nullatenus „infertur poena corpori, nec purgatio peccati per corporale supplicium constat, sed per poenitentiam" omnia remittuntur peccata. [1]) Deus tamen, quem offendimus, non sine nostra cooperatione nos liberat et iustificat, si „effecti servi diaboli" „peccatis nostris venumdati sumus". Attamen omnes possumus omnium peccatorum habere veniam. „Si quis forte pecuniam (peccati) a diabolo deceptus accepit, non usquequaque desperet, misericors enim est et miserator Dominus et creaturae suae non vult mortem, sed ut convertatur et vivat. Poenitendo, flendo, satisfaciendo deleat, quod admissum est. Dicit enim propheta, quia, ‚si conversus ingemueris, tunc salvus eris'." [2]) Et ita omnis peccator vere dolens de peccatis, si „non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam", purgatur a peccatis. [3])

(Christi) wird lediglich als vorbildlicher, nicht aber als satisfaktorischer aufgefaßt; nirgends wird auch nur mit einem Worte angedeutet, daß dieser Tod als Compensation für die von den gefallenen Vernunftwesen verübten Vergehungen, als Äquivalent der göttlichen Vergebung für die über die sündige Welt zu verhängenden Strafen gelten solle." cet.

[1]) In Levit. h. XI 2.

[2]) In Exod. h. VI. 9.

[3]) H. in Levit. II. 4. — Poenitentia *(μετανοήσις)*, confessio *(ἐξομολόγησις)*, venia peccatoram *(ἀπολειφθῆναι τὰ ἁμαρτήματα)*, conversio ad Deum *(ἐπιστροφή)* cet. In Jerem. h. V. 10. Nimirum poenitentia vera esse debet. Judas enim „videns magnitudinem facinoris sui poenituit quidem et locutus est ex poenitentia cordis, confessus est peccatum suum ex eo, quod tradiderit sanguinem iustum: non autem et secundum scentiam poenituit, sicut debuit poenitere." In Matth. com. ser. n. 915. Omnes ergo res ad essentiam et integritatem poenitentiae sacramenti spectantes, confessio, contritio, satisfactio, in Orig. inveniuntur. Certe interpretatio Redepenning, II. p. 417. falsa est, qui dicit ex scriptis Origenis apparere, peccata „einem vertrauensvollen Freunde" indicanda esse. Sed minime Orig. huius est sententiae. Fatetur quidem ipse Redep.

Neque sufficit,[1]) si aliquorum tantum peccatorum te poeni-

magni momenti vel optimum esse „insbesondere einem Priester zu beichten", sed apertissime omnibus locis, quos citat Redep., Origenes non loquitur nisi de sacerdote et pontifice. H. in Levit. II. 4: „Cum (peccator) non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam." In Num. h. X. 1: „pontifices et sacerdotes non quorumcumque, sed sanctorum sumunt peccata; sanctus enim est, qui peccatum suum per pontificem curat." Ib. l. c. „sancti pro peccatis poenitentiam gerunt, vulnera sua sentiunt, intelligunt lapsus, requirunt sacerdotem, sanitatem deposcunt, purificationem per pontificem quaerunt." Cf. ad haec omnia Katholik l. c. p. 554—568: „Minister des Bußsakramentes"; ib. de contritione p. 510, 541; confessione p. 542—551; satisfactione p. 690—697. Minime in Origene aliquid invenimus, quod spectat ad praxim medio aevo in ecclesia vigentem, (cf. Thom. Aq. Suppl. III. q. 8. a. 2. ad 1. Billuart. de sacram. poenit. diss. 6. art. 1. cet.) ut poenitentes imminente necessitate etiam laico confiterentur peccata. Potest quidem aliquis putare etiam ex scriptis s. Cypriani demonstrari posse non omnimodo ad confessionem opus esse sacerdote, sed sufficere diaconum. Attamen quod dicit ep. 18. 1. „ut manu (diaconi) eius in poenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace" non spectat ad confessionem sacramentalem, sed ad reconciliationem canonicam. Distinguenda est a confessione sacramentali absolutio canonica, quae saepe negabatur, saepe differebatur. De excommunicatione cf. in Matth. com. ser. 89: „in Ecclesiis Christi consuetudo tenuit talis, ut qui manifesti sint in magnis delictis, eiciantur ab oratione communi, ne modicum fermentum non ex corde mundo orantium totam unitatis conspersionem et consensus corrumpat." — Omnia peccata confessionis sacramento remitti posse sine dubio docuit Adamantius: si nonnullis locis quaedam peccata non posse remitti dicit, hoc dicitur de canonica absolutione. Quare suo iure prohibet Origenes (de orat. 28. n. 256), „ne sacerdotes temere sibi arrogent potestatem omnia indiscriminatim, quandocumque et prout libuerit, et sine ullo delectu peccata remittendi, cum nonnulla atrociora v. g. idolatria, adulterium et fornicatio sint retinenda, donec illorum rei diuturnae ac laboriosae poenitentiae fructus dignos fecerint ac veniae pacique obtinendae idonei reddantur". Adnotatio Huetii (quam legis M. 11. p. 530) certe textum Origenis recte interpretatur, praesertim cum ipse Adamantius, fateatur in Levit. h. XV. 2: „haec ergo venditio et huiuscemodi culpa semper reparari potest, nec aliquando tibi interdicitur de commissis huiusmodi poenitudinem agere. In gravioribus enim criminibus semel tantum poenitentiae conceditur locus, ista vero communia, quae frequenter incurrimus, semper poenitentiam recipiunt, et sine intermissione redimuntur." Contra Redep. II. p. 51. adnot. cf. Katholik l. c. p. 420; ibid.: „Über die Exkommunikation". p. 697—702, Cf. Schwane l. c. I. p. 670. Si Origenes, uti supra dictum est, dicit nonnulla graviora peccata semel tantum poenitentia remitti posse hoc etiam hanc ob causam ad poenitentiam canonicam referri debet, quia ex doctrina eius tria haec peccata nequaquam sunt gravissima; sequitur ergo, si Origenes hoc loco nihil dicit de superbia, quod ex eius doctrina est peccatum gravissimum, multo magis etiam sacramentaliter tria haec peccata cannonica remitti posse.

[1]) De aliis sacramentis pauca in Alexandrino inveniuntur. Novit sacramentum unctionis, quod intime cum poenitentiae sacramento nectere videtur.

ieat, sed omnia peccata, cogitationibus, verbis, operibus commissa, sive sunt publica, sive occulta, poenitentia et confessione,

---

Ubi enim „septem remissiones“ peccatorum enumerat, dicit: „est adhuc et septima, licet dura et laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum, cum (peccator) non erubescit sacerdoti Domin indicare peccatum suum et quaerere medicinam .. In quo impletur et illud, quod Jacobus apostolus dicit (5, 14), si quis autem infirmatur, vocet presbyteros ecclesiae, et imponant ei manus (pro ‚et orent super eum‘; Adamantius sine dubio ex memoria citat) unguentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum et si in peccatis fuerit, remittentur ei“. In Levit. h. II. 4; cf. Alzog, Grundriß der Patrologie, Freiburg 1869. p. 139. — Ad confirmationis sacramentum spectat, quod dicitur Pr. I. 3. 2: „in actibus apostolorum per impositionem manuum apostolicam Spiritus sanctus dabatur in baptismo.“ — Loquitur Origenes de „ordine sacerdotii“, de „sacerdotalibus officiis“, „accepta gratia“, „sancto ministerio“. Multaque, „quae mystica sunt et in secretis recondita et solis sacerdotibus patent, non solum nullus animalis homo accedit, sed ne ipsi quidem, qui habere aliquid exercitii et eruditionis videntur, nondum tamen meritis et vita ad sacerdotalem gratiam conscenderunt“. In Num. h. IV. 3. — De eucharistiae sacramento plura in Origene legimus, sed multa non ita facile interpretanda sunt, quia auctor disciplinam arcani sequens, non ubique apertam suam monstrabat doctrinam. Primum autem hoc statuere possumus Origeni persuasum esse, sub consecrati panis et vini speciebus Christum vere esse praesentem. „Nos inquit, Christiani, qui huius universitatis conditori gratias agimus, cum precibus et gratiarum actione oblatos edimus panes, qui propter orationem fiunt corpus quoddam sanctum, quod sano proposito manducantibus sanctitatem largitur. *τοὺς μετ' εὐχαριστίας καὶ εὐχῆς ἐπὶ τοῖς δοθεῖσι προσαγομένους ἄρτους ἐσθίομεν σῶμα γενομένους διὰ τὴν εὐχὴν ἅγιόν τι καὶ ἁγιάζον τοὺς μετὰ ὑγιοῦς προθέσεως αὐτῷ χρωμένους.* Cels. VIII. 33. Cum ergo Christi corpus sit panis consecratus, revera „accedens ad eucharistiam“ debet „communicare corpus Christi“ et magna cum reverentia „accedere ad tanta et tam eximia sacramenta“. Sel. in Ps. h. II. in Ps. XXXVII. 5. Verisimile est etiam inter materiam et formam recte distinguere Alexandrinum. Non enim „panis materia *(ἡ ὕλη τοῦ ἄρτου, τὸ ὑλικόν)* ea est, quae illum iuvat, qui non indigne Deo hunc comedit“ *(μὴ ἀναξίως τοῦ Κυρίου ἐσθίοντα αὐτόν)*; „sed super eum prolata oratio“ *(ὁ ἐπ' αὐτῷ εἰρημένος λόγος ἐστὶν ὁ ὠφελῶν)*. Hac enim oratione panis fit „typicum et symbolicum corpus“ *(καὶ ταῦτα μὲν περὶ τοῦ τυπικοῦ καὶ συμβολικοῦ σώματος)*. Ita „cibus ipse per verbum Dei et orationem consecratus *(τὸ ἁγιαζόμενον βρῶμα διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως)* secundum illud quidem ipsum, quod materia constat, in ventrem abit et in secessum eicitur, secundum orationem autem, quae illi accessit *(κατὰ τὴν ἐπιγενομένην εὐχήν)* iuxta proportionem fidei utilis fit efficitque, ut perspicax fiat animus, spectans ad id, quod prodest.“ Ut autem vere fructuum huius sacramenti fiamus participes, digni esse debemus; non enim „ex se utentem sanctificat“ *(οὐ τῷ ἰδίῳ λόγῳ ἁγιάζει τὸν χρώμενον)* nam, si id ita se haberet, sanctificaret „et illum, qui indigne Domino comedit, nec ullus propter cibum hunc infirmus factus fuisset“. Sed tunc demum „in pane Domini utilitas est ei, qui utitur, cum intemerata mente et pura conscientia panis fit particeps“. Com. in Matth. tom. XI. 14. M. 13.

ut remittantur, indigent.[1]) Multum certe hac in re ab eo pendet, ut unusquisque sibi quaerat animae medicum satis prudentem, et „qui se prius et eruditum medicum ostenderit et misericordem", quem sequatur in omnibus salutis rebus oportet.[2]) Qui ita accepit peccatorum remissionem, non denuo eum peccare decet, neque enim sperandum est, fieri etiam remissionem futurorum peccatorum, „indulgentia namque non futurorum, sed praeteritorum criminum datur". Conversio ista a peccatis ad Deum et remissio peccatorum illud est, quod etiam appellatur iustificatio. Atque ut ii, qui iam adulti sacramento baptismi iustificari volunt, rectam intentionem et dignam dispositionem habere debent, ita

p. 949; cf. etiam hoc loco Huetii adnot. Cum ergo omnis „qui mysteriis imbutus est, et carnem et sanguinem Verbi" noverit, (in Levit. IX. 10) ad magnam cautelam in sumendo s. sacramento incitare poterat concionator Alexandrinus. „Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuestis, quomodo, cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim eos creditis, et recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat." In Exod. h. XIII. 3; cf. in Joan. tom. XXXII. 16; in Matth. com. ser. 85. cum adnot. Uti Redepenning baptisma dicit symbolum esse tantum internae ablutionis, ita similiter protestantium haeresim de s. eucharistia iam in Origene se invenisse putat. „Nur typisch und symbolisch ist es (panis) Leib. Das Brot an sich ist und bleibt verweslicher, der Absonderung nach dem Genusse unterworfener Stoff, und nur durch die Gebete wird es nach Maßgabe unseres Glaubens uns nützlich als eine Anregung durchzuschauen in das Unsichtbare, welches uns wahrhaft nützt. Nicht der Stoff des Brotes, sondern das darüber gesprochene Wort nützt dem, welcher nicht unwürdig ist." Redep. II. p. 442. Si bene scirent protestantes distinguere, talia ex patrum et scriptorum scriptis eruere non studerent. — De matrimonio cf. supra p. 126 sq.; ipse Redep., qui generatim sententiam Origenis de matrimonio damnat, hoc dicit: „Darnach erkennt er (Origenes) andrerseits die göttliche Einsetzung der Ehe an und erklärt sie für ein *χαρίσμα*, d. i. für einen Stand, den Gott seiner Gnadenerweisungen würdige, nicht minder als den Cölibat, vorausgesetzt, daß die eheliche Liebe eine rein geistige (nach Eph. 5, 25) bleibt (tom. XIV in Matth. n. 639.) und allein die Erzeugung zum Zwecke hat", in ep. ad Rom. II. 494. Redep. I. p. 212. adnot.

[1]) In Levit. h. III. 4; ib. II. 4. dicit de la Rue in adnot. ad hunc textum facta, omnino hac in re eiusdem doctrinae atque ecclesiam catholicam esse Origenem docentem scil.: „debere omnia peccata sua etiam occulta, non solum Deo sed etiam sacerdoti indicare et medicinam ab eo quaerere". Etiam hoc recte docet Adamantius, eum, quem non vere peccatorum poeniteat, non absolvi, quamvis a legitimo sacerdote quaerat absolutionem, cet. h. in Levit. XII. 6; in Ps. XXXVII. h. I.

[2]) In Ps. XXXVII. h. II. 6; cf. ad haec omnia etiam Möhler, Patrologie, p. 563.

etiam res se habet in poenitentiae sacramento. „Initium namque iustificari a Deo fides est, quae credit in iustificantem. Et haec fides, cum iustificata fuerit, tamquam radix imbre suscepto, haeret in animae solo, ut cum per Legem Dei excoli coeperit, surgant in ea rami, qui fructus operum ferant. Non ergo ex operibus radix iustitiae, sed ex radice iustitiae fructus operum crescit, illa sc. radix iustitiae, qua Deus accepto fert iustitiam sine operibus". [1])

[1]) In ep. ad Rom. III. 9: Ne tamen putaveris hoc loco de fide sine bonis operibus iustificante loqui Origenem, quippe qui multis locis, quam necessario requirantur ad rectam fidem bona opera, manifeste doceat In ep. ad Rom. IV. 1. Viam huius purificationis et conversionis ad Deum describit Origenes tribus constare gradibus: „in tria ergo purificationis huius, i. e. conversionis ratio dividitur; prima est hostia, qua peccata solvuntur; secunda est, qua anima convertitur ad Deum; tertia est fecunditas et fructuum, quos in operibus pietatis is, qui dicitur conversus, ostendit". H. in Levit. VIII. 11.

Appendix.

I. De praeexistentia animarum.

Reliquum est, ut, quae docuerit Origenes de praeexistentia animarum *(προυπάρξις)*, accuratius exponamus. Hoc quidem in tractanda auctoris ethica fortassis omitti possit, sed quia nostris temporibus Vincenzi [1]) conatus est ostendere Origenis de hac re doctrinam omni ex parte cum doctrina catholica consentire, quae hac in re vera esse puto, brevi explanaturus sum. Ut enim in re difficillima recte iudicare possem, cum Origenis opera tum, quae scripsit Vincenzi, iterum atque saepius perlegi, atque hoc tandem statui nihil omnino a defensore in Origenis favorem demonstratum esse, imo hunc certissime Platonis [2]) illum et Neoplatonicorum [3]) errorem amplexum esse. Nimirum nonnulli, quos citat Vincenzi, loci ad eum sensum referri vel potius accommodari possunt, ac si loquatur Adamantius de creatione corporis et animae uno atque eodem tempore effecta, sed eos, qui contra

---

[1]) Vincenzi l. c. II. c. XVI. sq.

[2]) Grundey l c. p. 21; Klein p. 45: Zeller l. c. II. p. 525; Haffner l. c. p. 238 sq. Origenem animarum praeexistentiam docuisse etiam patet ex apologia, quam pro magistro scripsit simul cum Eusebio sanctus Pamphilus martyr. Hic enim dicit apol. c. IX: „quando autem factae sint (animae), olim simul, aut nunc per singulos nascentium, quid periculum est alterum e duobus opinari?“ Antea autem refutavit traducianismum et longo discursu eam declarat sententiam, quae doceat animas, singulas corpore in utero matris iam formato, a Deo creari, defendi non posse sed potius innumerabiles creare de providentia divina difficultates. Cf. etiam. Hieron. l. II. adv. Ruf.: „dicit Eusebius imo Pamphilus animas hominum lapsas esse de coelo“. De anima Christi, quid crediderit Origenes cf. Huet Origen. l. II. q. III. n. VI.

[3]) De his cf. Huber l. c. p. 50—74; Klein l. c. p. 67.

Origenem loquuntur textus, plane neglegit defensor, aut non recte interpretatur.

De origine animarum pauca a sacra scriptura et ab ecclesia credenda proponuntur. Itaque variae semper inter theologos et philosophos inveniebantur doctrinae, et primi optimique doctores interdum falsas doctrinas defendunt. [1]) Dicit de hac re Origenes: „de anima vero, utrum ex seminis traduce ducatur, ita ut ratio ipsius vel substantia inserta ipsis seminibus corporalibus habeatur, an vero aliud habeat initium, et hoc ipsum initium, si genitum est aut non genitum, vel certe, si extrinsecus corpori inditur necne, non satis manifesta praedicatione distinguitur.“ [2]) Quamvis ergo hoc loco, quae sit sua sententia, Origenes professus non sit, tamen aliis locis suam doctrinam apertissime proponit et demonstrat.

Deus cum crearet, quae creare volebat, „nullam habuit aliam creandi causam, nisi propter se ipsum i. e. bonitatem suam“. [3]) Atque ita in principio et ante omnia fecit coelum i. e. omnem spiritalem substantiam, super quam velut in throno quodam et sede requievit. [4]) Sed „aequales creavit omnes ac similes, quos creavit“, [5]) omnesque rationales creaturae eadem perfectione praeditae ac sanctitate a Deo exornatae sunt; nec tamen omnes hac in sanctitate pari perseveraverunt, nam „ab illo uno initio pro suis unaquaeque motibus et varietatibus per diversos ordines

---

[1]) Cf. Tertull. de anima 19, 25, 27. Esser. l. c. Augustinus, Rufinus, Gregorius Magnus, alii, non audent aperte defendere creatianismum. — Reiecta et damnata est doctrina tantum praeexistentiae animarum. Conc. Const. (553) can. 2; et Priscillianistarum, Con. Tolet. (a. 447) can. 1. Acriter iam s. Irenaeus praeexistentiam animarum reiecit. Cf. Klebba l. c. p. 97.

[2]) De Princ. praef. n. 5.

[3]) Pr. II. 9. 6.

[4]) „Et ideo illud primum coelum, quod spiritale diximus, mens nostra est.“ cet. H. in Gen. I. 2.

[5]) Pr. II. 9. 6; ib. II. 1. 1: „quam aliam causam putabimus tantae huius mundi diversitatis, nisi diversitatem ac varietatem motuum ac prolapsuum eorum, qui ab illa initii unitate atque concordia, in qua a Deo primitus pro creati sunt, deciderunt.“ Cf. Pr. I. 8. 2. Huber l. c. p. 165. adnot.: „Unter der anfänglichen Gleichheit der Geister versteht O. gewiß nicht eine völlige Identität in ihrer natürlichen Ausstattung, sondern nur die Identität der Reinheit, Freiheit und Seligkeit.“ Supra p. 9. Cf. Redep. l. c. II. p. 21. adnot. 1: „Auch die jüdische Kabbala, wie überhaupt das spätere Judentum, weiß von einer Aufbewahrung der Seelen im Himmel vor ihrer Einkörperung und von dem Anlegen einer Gestalt, die dem irdischen Körper entspricht, bevor sie in diesen eintritt.“

pro merito dispensatae sunt", et ita factae sunt vel „coelestes" vel „terrestres" vel „infernae". [1]) Poterant namque creaturae de perfectione decidere, quia non sicut in Deo bonitas in iis substantialiter *(οὐσιαδῶς)* inest, sed accidentem et decidentem *(κατὰ συμβεβηκὸς)* eam habent, et ex participatione tantum divinitatis habent beatitudinem et perfectionem, quam possident. [2]) Cum ergo creaturae propria culpa ex naturali unitate similique perfectione delapsae essent, Deus tamen, „cui iam creaturam suam pro merito dispensare iustum videbatur, diversitatem mentium in unius mundi consonantiam traxit". [3]) Hanc ob rem non iniustus nominari debet Deus, „cum secundum praecedentes causas pro merito unicuique distribuit; neque fortuita uniuscuiusque nascendi vel felicitas vel infelicitas putabitur, vel qualiscumque acciderit illa conditio, neque diversi creatores, vel diversae naturae credentur animarum". [4])

Philosophi, „qui rerum omnium naturam sibi exploratam esse iactitant disseruntque inter se, quomodo omnia condita fuerint, quomodo coelum et terra facta sint, et omnia, quae continent", ut de his omnibus non eandem omnes habent doctrinam, ita etiam de anima dubitant, „utrum animae nec factae a Deo nec creatae a Deo regantur et e corpore in corpus transmigrent, an insitae simul corporibus immortales sint aut mortales". [5])

---

[1]) Pr. I. S. 1.

[2]) „Si vero ab huiusmodi participatione negligant et dissimulent, tunc vitio propriae desidiae alius citius, alius tardius, plus alius, alius minus, ipse sibi causa sui lapsus vel casus efficitur. Et hic lapsus quam plurimam habet diversitatem pro mentis ac propositi motibus, quod alius levius, alius gravius ad inferiora declinat. Eorum autem, qui in illo initio permanserunt, quidam ex ipsis in ordinatione ac dispensatione mundi ordinem angelicum sortiuntur, e. g. virtutes, principatus, potestates." Pr. I. 6. 2. Talis creaturarum rationabilium status idem semper manet in his sc., qui beatitudinem coelorum assecuti sunt. Recte dicit Klein l. c. p. 16, 17: „Da die Geister nur im Nießbrauch des geschenkweise erhaltenen Guten sind, so müssen sie beständig darauf bedacht sein, dasselbe sich durch freie Aneignung zu erwerben, um es zu besitzen. Tritt Ermattung ein in der Aufnahme des Göttlichen, so vermögen sie sich nicht mehr auf dem Niveau jenes Lebens zu halten, sie nehmen zu an Schwere und sinken allmählich abwärts." Pr. II. 9. 2.

[3]) Pr. II. 9. 6.

[4]) Ibid. l. c.

[5]) Cels. IV. 30. Reicit Origenes transmigrationem animarum, quam docebant Platonici (Cels. I. 13; IV. 17); Pythagoraei (Ib. V. 49); Aegypti (Ibid. I. 20); Basilides gnosticus (In ep. ad Rom. V. 1); cf. praecipue Cels. VIII. 30; IV. 17; V. 49; Ib. III. 75; „insana illa animarum in varia corpora transmigra-

Nullam philosophorum aperte amplexus doctrinam, imo transmigrationem *(μετεμψυχώσεως)* animarum saepius refutans, Origenes dicit praeexistere animas corporibus, neque ullatenus fingi simul vel creari cum corporibus, et multis rationibus et exemplis allatis hanc sententiam probare studet. „Nam, quantum ad homines spectat, quomodo cum corpere simul ficta anima videbitur eius, qui in ventre suum fratrem supplantavit"? Aut quomodo simul cum corpore fictam esse animam vel plasmatam eius, qui in ventre matris repletus esset Spiritu sancto? Magnum ergo in errorem delabitur et Deum iniustitiae accusat, qui talia putat. Hoc enim consequitur eam defensionem, quae animas subsistere simul cum corporibus asseverat.[1]) Haec Adamantii explicata doctrina etiam per ea exprimitur, quae saepius de Joanne baptista, de Jacob et Esau, aliis in scriptis locutus est. Propter praecedentia vitae merita et „ex praecedentibus causis pro meriti dignitate" Jacob dicitur Esau supplantasse.[2])

---

tionis opinio". — Multi Adamantii adversarii eum ipsum *μετενσωμάτωσιν* defendere contenderunt, sed nullatenus hoc verum esse potest. Attamen alio sensu transmigrationem animarum Origenes credere poterat, non contradicens sibi ipsi neque neglegens animarum praeexistentiam. Nimirum Origenes spiritus non iam lapsos aliquo indumento indutos esse putat, post autem lapsum hoc indumentum crassius fit et materiale, et qui homines fiunt, in corpus immittuntur omnino terrenum et materiale. Itaque est quasi transmigratio animarum e corpore in corpus. Cf. etiam Denis l. c. p. 191. 192. Minime etiam rectum esse puto, quod dicit Klein l. c. p. 23: „Wirklich hat sich O. in den früheren Jahren auch zu dieser platonischen Lehre (Seelenwanderung) bekannt, in seinen späteren Schriften aber erklärt er sich aufs bestimmteste dagegen."

[1]) Pr. I. 7. 3. Etiam sidera et stellae animata sunt: *ὅτι δὲ πρεσβυτέρα ἡ ψυχὴ τοῦ ἡλίου τῆς ἐνδέσεως αὐτοῦ τῆς αὐτοῦ εἰς τὸ σῶμα μετὰ τὸ συλλογίσασθαι ἐκσυγκρίσεως ἀνθρώπου τῆς πρὸς αὐτὸν καὶ ἐντεῦθεν ἀπὸ τῶν γραφῶν οἶμαι ἀποδεῖξαι δύνασθαι.* Frustra Vincenzi hanc doctrinam Platonis (Tim. 36; de legg. 10) et Philonis defendisse Origenem negat l. c. II. c. XXIII: apertissime hanc suam doctrinam explicat scriptor Pr. I. 7. 1. sq. Cf. Schnitzer l. c. p. 11. adn. 2; ib. p. 73. adn.: „Der Beweis, den hier (Pr. I. 7, 4.) Orig. für die Präexistenz der Seelen führt, ruht, wie er selbst gesteht, auf schwachen Stützen. Coniecturas, *ὑποθέσεις* nennt er sie, d. h. Mutmaßungen als Schlüsse aus der Analogie. Er kommt zwar weiter unten (2. Buch 8. Kap.) noch einmal auf dieses Thema zurück, allein ohne den Beweis für die Präexistenz besser zu begründen, welche er überhaupt seinem Systeme als notwendig mehr zu Grunde legt, als beweist."

[2]) Omnes de duobus his viris sed etiam de omnibus aliis hominibus orientes difficultates superantur, „si causas diversitatis unusquisque vel coelestium vel terrestrium vel infernorum in semetipso praecedentes nativitatem corpoream habere dicatur." Pr. II. 9. 7. Cf. in Joan. tom. 1. 24, 25, ubi Abraham aliosque veteris foederis sanctos fuisse angelos dicit Origenes.

Quas praecedentes causas esse putat Vincenzi motus infantium adhuc in utero matris exsistentium. [1]) At puta hi motus naturales omnino carent libera voluntate, et cum nemo tam acriter quam Origenes libertatis arbitrium, omnes humanos actus moderans et temperans, statuisset, certe hi hominis quidem, non tamen humani actus vel motus, a iusto Deo pueris nondum natis imputari nequeunt. Sed forte obicies Origenem putare animam e coelo lapsam semper uti posse naturali sua perfectione, et ita etiam in his foetibus fuisse vere intellectus et voluntatis capacem. Non ita tamen Adamantius; quamquam, haec si docuisset, fortasse melius sibi constitisset, ut etiam Platonis doctrinam secutus, omnem humanae animae facultatem intelligendi et discendi in memoria positam esse dicit. [2]) Hanc autem perfectionem soli Salvatori mansisse expresse Origenes profert. [3]) Nullo ergo modo tales motus puerulis imputari possunt eo modo, quo vult Vincenzi. Ubi textus et interpretationes discrepant, diligenter perscrutati textuum varietatem unum invenimus in varietate constare sensum. Loquitur Rufinus de „antiquioribus causis", quod Jacob dilectus sit, antequam huic mundo nasceretur, et Esau odio habitus, „dum" adhuc in ventre matris haberetur. Item Hieronymus agit de „praecedentibus causis" et vertit animam „egisse antiquitus", cur in altero diligatur, in altero odio habeatur. Nova vero, quae vocatur, interpretatio „ex praecedentibus" causis dicit dilectum fuisse Jacob, „priusquam" corpus assumeret, et odio habitum fuisse Esau, „antequam" in utero esset matris. Haec autem omnia cum sensu textus Graeci concordant. [4]) Contendit porro Vincenzi Origenem loqui tantum de statu, quo, vel

---

[1]) Vinc. II. p. 239; cf. contra „antiquiorem Joannis animam quam corpus admittat, necesse est, et antea subsistentem." cet. *ἀναγκαῖον παραδέξασθαι πρεσβυτέραν οὖσαν τὴν Ἰωάννου ψυχὴν τοῦ σώματος καὶ πρότερον ὑφεστῶσαν πεμφθῆναι ἐπὶ διακονίαν.* Com. in Joan. tom. II. 24; cf. ib. 25.

[2]) De orat. 24; cf. p. 193. adn. 4.

[3]) „Solum Salvatorem ipse Pater extraxit de ventre", „propterea solus Salvator infantiae amentiam et statum non est expertus". Sel. in Ps. XXI. vers. 10. 11.

[4]) *εἰ δὲ ἅπαξ προσιέμεθα εἶναί τινας αἰτίας πρεσβυτέρας τοῦ σκεύους τῆς τιμῆς καὶ τοῦ σκεύους τῆς ἀτιμίας, τί ἄτοπον ἀνελθόντας εἰς τὸν περὶ ψυχῆς* (sc. *νοεῖν* vel *λέγειν*) *πρεσβυτέρα αἴτια τοῦ τὸν Ἰακὼβ ἠγαπῆσθαι, καὶ τὸν Ἠσαῦ μεμισῆσθαι γεγονέναι εἰς τὸν Ἰακὼβ πρὸ τῆς ἐνσωματώσεως, καὶ εἰς τὸν Ἠσαῦ πρὸ τοῦ εἰς τὴν κοιλίαν τῆς Ῥεβέκκας γενέσθαι.* Pr. III. 1. 20; eadem dicuntur ib. III. 1. 21. omnibus interpretationibus inter se congruentibus.

„dum" anima cum corpore in utero matris sit, non autem antequam sit in vulva matris. Quod cum supra citatis iam satis reicitur, tum ab ipso Origene refutatur. Dicit enim humanas animas in terris nunc quidem a bonis spiritibus moveri, nunc a malis, „cuius rei causas suspicor esse quasdam antiquiores etiam hac nativitate corporea, sicut designat Joannes in matris ventre tripudians, et ut declarat Jeremias propheta, qui, a) antequam plasmaretur in utero matris, cognitus est a Deo, et b) antequam e vulva procederet, sanctificatus ab eo est, et puer adhuc prophetiae gratiam accepit". [1]) Ut mittamus alia, quae hic dici possunt, certe haec patet conclusio: „Corpus ex genitali origine quantitatis materiam sumit, ut vel magnum vel exiguum fiat; anima vero in nobis habet causas et arbitrii libertatem, ut vel magna vel parva sit." [2]) Quoniam ergo, ut diximus, mutabilis et convertibilis erat natura rationalis et in peccatum ruit, in poenam missae sunt animae in corpora *(ἐνσωμάτωσις)*, ita tamen omnis anima, ut „pro meritis etiam diverso corporis uteretur indumento, illius vel illius qualitatis". [3]) Ita in apologia contra Celsum scripta Origenes animam occultis quibusdam rationibus nominat addictam corpori, eamque corpori addici putat pro meritis praeteritisque motibus. [4]) Constat ergo animam cum corpore pariter non semi-

[1]) Multi a prima statim aetate obsessi a malignis spiritibus sunt; huius rei non alias esse causas „nisi priores quaedam fuisse iis causae dicantur, quibus, antequam in corpore nascerentur animae, aliquid contraxerint culpae in sensibus vel motibus suis, pro quibus hoc merito pati a divina providentia iudicatae sunt". Idem saepius hoc loco exprimitur. Pr. III. 3. 5. Cf. de tentationibus supra p. 172. a. 4.

[2]) Nimirum sensu spiritali, ut ipse monet Origenes. H. in Levit. XII. 2; com. in Joan. XX. 2; cf. Huet. Orig. lib. II. 9. 6. n. 4; cf. etiam h. in Luc. IV: „si nascitur iustus, gaudent angeli, quando vero ille nascitur, qui male vitae praeparatus est, et quasi ob poenas in ergastulum relegatus, minister (sc. angelus, nascentem adiuvans,) consternatur et concidit".

[3]) „Necessarium fuit, ut sicut diversitates praenoscebat Deus futuras vel animarum vel virtutum spiritalium, ita etiam naturam corpoream faceret, quae permutatione qualitatum in omnia, quae res posceret, conditoris arbitrio mutaretur". Pr. IV. 35. Prima *ἐνσωμάτωσις* erat diaboli, quem nominat scriptor *πρῶτον τῶν ἐν σώματι*. Tom. in Joan. I. 17; cf. Redep. II. 339: „Hier kann es befremden, daß wir die Menschen in gröbern Körpern und beengtern Verhältnissen als die bösen Engel denken sollen." De his cf. ib. II. p. 351. Quo tempore materia creata sit, vide Denis, l. c. p. 1

[4]) *ἢ εὐλογώτερον ἑκάστην ψυχὴν κατά τινας ἀποῤῥήτους λόγους εἰσκρινομένην σώματι κατ' ἀξίαν εἰσκρίνεσθαι, καὶ κατὰ τὰ πρότερα ἤθη.* Cels. I. 32. *εἰ γὰρ ἥδε μὲν ψυχὴ κατά τινας ἀποῤῥήτους λόγους ἀξία γενομένη μὴ πάντῃ μὲν ἐν ἀλόγῳ γένεσθαι σώματι, οὐ μὴν καὶ καθαρῶς ἐν λογικοῦ. κ. τ. λ.* Ib. I. 33;

nari, sed ante ipsum exsistere, ob variasque causas carnem et sanguinem induere; hanc ob rem, si Joannes missus a Deo dicitur, haec „particula“ ‚missus a Deo‘ non videbitur amplius dicta „ceu res quaedam eximia de Joanne“. [1]) Et talia plura in Origenis operibus inveniuntur. Licet igitur concedamus Vincenzi multum elaborasse in re Origeniana et ipsi Adamantio multum profuisse, hoc tamen Origenem animarum praeexistentiam non admisisse non evicit. Ipse sanctus Pamphilus ita docentem credit Origenem, et in tantum hac in re defendit clientem, ut dicat hanc philosophicam sententiam non contraire dogmati proposito. Insuper, et qui antecedebant Origenem philosophi et doctores, similia de animae prima conditione docuerant, et multi ipsum Clementem, Origenis magistrum, licet iniuria, demonstrant eundem sortitum errorem. [2])

Talem siquis statuit praeexistentiam animarum, non est

---

cf. ib. IV. 17. 18; VIII. 54. Necessarium etiam ex his est consequens: *πᾶς δὲ τρανῶν καὶ τὰ περὶ τοῦ Θεοῦ ὑπομιμνήσκεται μᾶλλον ἢ μανθάνει, κἂν ἀπό τινος ἀκούειν δοκῇ, ἢ εὑρίσκειν νομίζῃ τὰ τῆς θεοσεβείας μυστήρια*, quae quidem Platonis doctrinae sunt simillima. De orat. 24; cf. Grundey, l. c. p. 76. Es „kann jede Seele die ihr entsprechende Form (in corpore) erhalten, wobei freilich manche auf ihre Einkörperung bis zur elften Stunde warten muß, jede so lange, bis der ihr angemessene Körper erscheint (tom. in Matth. XV. n. 702). In diesem findet sie Anlagen, Bildungskeime vor, deren Beschaffenheit durch die Erzeuger bedingt ist (tom. in Matth. XIII. 605). In Adam waren alle Menschenkörper der Potenz nach vorhanden (in ep. ad Rom. V. 546) weshalb auch die Schrift, wenn sie von Adam redet, oft (cf. infra p. 195 sq.) das ganze Menschengeschlecht, oder die menschliche Natur meint, in Übereinstimmung mit der hebräischen Wortbedeutung.“ Redep. II. p. 21. 22.

[1]) *ἐὰν δὲ κρατῇ ὁ καθόλου περὶ ψυχῆς λόγος, ὡς οὐ συνεσπαρμένης τῷ σώματι, ἀλλὰ πρὸ αὐτοῦ τυγχανούσης καὶ διὰ ποικίλας αἰτίας ἐνδυομένης σαρκὶ καὶ σώματι, κ. τ. λ.* Com. in Joan. II, 24; cf. in Luc. h. VII: „sancta erat anima beati Joannis, et adhuc in matris utero clausa venturaque in mundum quasi per experientiae sensum sciebat, quae Israel ignorabat.“

[2]) Huber, l. c. p. 145. adnot.: „Nach diesen Äußerungen huldigt Clemens offenbar der Theorie des Kreatianismus. Man hat bekanntlich die Präexistenzlehre bei ihm finden wollen. Schon Photius hat ihm dieselbe aufgebürdet, aber die meisten hierfür aus Clemens angeführten Stellen enthalten nichts, was nicht durch den Kreatianismus gefordert wäre. Zweideutig ist nur Str. VI, 23, 632 . . .“ cet. Hagemann, l. c: „Blieb Clemens bei der blos ideellen Präexistenz der menschlichen Seele, als des eigentlichen Schöpfungszweckes, stehen, so ist dieser Gedanke bei Origenes zur realen Präexistenz erweitert.“ Bigg, l. c. lect. III. p. 76: „Clement did not admit the preexistence of the soul, or the eternity of matter, but in other respects followed closely the Philonic vieuw of creation. God of his goodness and love created the world of Ideas, the invisible heaven and earth and in accordance with

dubium, quin multae tollantur de origine mali deque peccato originali difficultates. Porro, qui bene sibi constat, ultra non debet admittere peccatum originale eo sensu, quo illud explicat ecclesia. Attamen de peccato originali, quid legi possit in Adamantii operibus, audire valde interest. Praeter praeexistentiam animarum etiam hoc docere videtur Origenes, quod docet ecclesia de creatione et conditione primi hominis in paradiso. Multi quidem contenderunt Origenem, ubi de conditione protoplastarum in paradiso et de Adami Evaeque peccato loqueretur, allegorice semper scripturas interpretatum esse. Dicunt enim, qui de Origene scripserunt, secundum eius doctrinam Adam esse omnes homines, [1]) itaque si Origenes agat de Adami peccato, hoc referendum esse ad peccatum omnium spirituum, qui peccarint

---

this divine modele the world gave shape and substance to the material universe." Winter, l. c. p. 62: „Wohl lehrt Clemens eine gewisse ideelle Präexistenz; bei der Schöpfung der Welt durch den Logos war der Gedanke an die Menschheit, und hier wiederum an die durch ihn für Gott wiedergewonnenen Menschen, das erste." Thomasius l. c. p. 75. Clementem pluribus locis platonicam Praeexistentiam defendere dicit. Redepenning I. p. 125 putat eum modo creatianismum, modo praeexistentiam videri defendere, multis tamen locis certe reicere praeexistentiam sed quodam tamen modo „durch eine eigene geistvolle Auffassung" docere aliam (sc. idealem) praeexistentiam. Schnitzer l. c. p. XXIX. Einleitung: Es „nimmt Clemens (Strom. III. 16) eine Erbsünde und den Tod als Folge der ersten Sünde an." — De valore apologiae Vincenzi, cf. Scheeben: „Zwar gelingt Vincenzi der Nachweis, daß Orig. an vielen Stellen sich so ausdrücke, wie es nur derjenige thun kann, der eine Schöpfung der Seelen in Leiber hinein glaubt. Aber der Gedanke von einer ursprünglichen Gleichheit aller Geister, nach welcher jede Verschiedenheit in ihrer Lage durch Verdienst oder Nichtverdienst begründet, und so auch, wenn nicht die Einkörperung der Seelen überhaupt, so doch die Verschiedenheit ihres Körpers und ihrer äußern Lebensbedingung bestimmt wird, zieht sich doch unverkennbar, wie ein roter Faden, durch die Bücher de Princ. hindurch, und Pamphilus selbst macht in seiner Apologie ihn sich ausdrücklich zu eigen ... er drängt sich auch in andern Schriften oft genug vor, wird jedoch keineswegs überall bis in seine letzten Konsequenzen fortgeführt" Katholik l. c.; cf. Hergenröther Theol. Litteraturblatt 1866: Langen ib. 1867. p. 438; Kraus ibid. p. 173.

[1]) *οὕτω δὲ καὶ περὶ τοῦ Ἀδὰμ καὶ περὶ τῆς ἁμαρτίας αὐτοῦ φιλοσοφοῦσιν οἱ ἐγνωκότες, ὅτι καθ' Ἑλλάδα φωνὴν ὁ Ἀδὰμ ἄνθρωπός ἐστιν. Καὶ ἐν τοῖς δοκοῦσιν περὶ τοῦ Ἀδὰμ εἶναι φυσιολογεῖ Μωϋσῆς τὰ περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου φύσεως. Καὶ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ (ὥς φησιν ὁ λόγος) πάντες ἀποθνήσκουσιν . . . οὐχ' οὕτως περὶ ἑνός τινος, ὡς περὶ ὅλου τοῦ γένους ταῦτα φάσκοντος τοῦ θείου λόγου. Καὶ γὰρ ἐν τῇ τῶν λεγομένων ὡς περὶ ἑνὸς ἀκολουθίᾳ ἡ ἀρὰ τοῦ Ἀδὰμ κοινὴ πάντων ἐστί. Καὶ τὰ κατὰ τῆς γυναικὸς οὐκ ἔστι καθ' ἧς οὐ λέγεται.* Cels. IV. 40. Cf. Pr. IV. 16. Infra p. 196. a. 1; 197. a. 5.

ante mundi constitutionem. Multis certe locis allegorice de his rebus agit Origenes, sed multis, fortasse etiam pluribus, de peccato loquitur solius Adam et Evae. [1])

„Colliduntur“ ergo mentes e coelo in terram, quae „e coelesti factae sunt terrenae“. [2]) Et primum duo illi facti sunt homines, de quibus narrat scriptura. [3]) Ita „hominis principium essendi („principium, quod fini opponitur“,) in paradiso fuit“. [4]) De hac prima, ut ita dicam, creatione agunt omnes illi innumerabiles fere textus, quos in suum frustra adhibuit Vincenzi favorem, [5]) et hoc, quod dixi, si concedimus, facile intelliges, quomodo, quamvis animarum praeexistentiam auctor docuerit, tamen etiam omnia, quae narrat de paradiso, primis hominibus eorumque peccato scriptura, recte ab Origene dici et intelligi potuerint. [6])

Prima ergo creatio hominis prima fuit animae praeexistentis in corpus humanum immissio; et primi homines magnis

---

[1]) Falsum certe est, quod dicit Klein l. c. p. 23, 24; et Redepenning l. c. p. 361: „Die Erbsünde [Orig. faßt die Geschichte vom Sündenfall allegorisch auf: *ἐν τοῖς δοκοῦσι περὶ τοῦ Ἀδὰμ εἶναι, φυσιολογεῖ Μοϋσῆς τὰ περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου φύσεως.* (Cels. IV. 40) und denkt sich übrigens die ersten Menschen unter besonderm göttlichen Schutze und Einfluß (!), ib. 79; wenn auch er sagt, die Sünde habe im Weibe angefangen, und darauf dem Manne sich mitgeteilt, h. in Luc. VIII. n. 940, so kann er auch dies nur allegorisch (?) in philonischer Weise nehmen.] ist für ihn (Orig.) nicht der Anfang eines Sündigwerdens, und nicht der erste Mensch Urheber in dem Geschlecht, aber eine von den Eltern und Voreltern her als Keimkraft (?) sich mitteilende Beschaffenheit unseres irdisch menschlichen Daseins nimmt er doch an, und leitet böse, wie gute Anlagen von jenen zu dem Abkömmlinge hinüber (cf. Redep. II. p. 22). So hätte er von einer angeerbten Sünde reden können, nur nicht von angeerbter Schuld. Die Schuld geht lediglich aus dem Verhalten des Einzelnen hervor; schon der Eintritt in das mehr oder minder unreine zum Bösen hingeneigte Dasein auf der Erde ist verschuldet.“

[2]) Sel. in Ps. LXXXVIII. 45.

[3]) Non semper, ut putant multi, de paradiso et peccato a primis parentibus commisso allegorice loquitur Origenes. Cf. Cels. VI. 43; h. in Levit. XII. 5; h. in Jes. Nav. VI. 4; h. in Levit. III. 1: „nobis hominibus vel mors vel reliqua omnis fragilitas in carne ex peccati conditione superducta est.“ Cf. supra p. 193. adn. 3.

[4]) Com. in Joan. tom. XIII. 37.

[5]) Non est, cur citem, quae leges collecta in Vinc. II. p. 245 sq.; cf. e. g. h. in Levit. XII. 7. — Cf. etiam supra, p. 33. adnot. 1.

[6]) Simili modo res se habet cum resurrectione corporum. Cf. supra p. 21, 19. adnot. 1.

Dei gratiis ornati in paradiso erant.[1]) Primi hi homines, (quorum conditionem et vitam in paradiso Moyses enarrat,) ad Dei imaginem creati et ad similitudinem Dei vocati erant,[2]) attamen huius primi status dignitatem non servaverunt, et hanc ob rem „protoplastus de paradisi deliciis eiectus ad huius mundi labores aerumnasque deducitur“.[3]) Amisit ergo homo illum honorem, quem habebat in paradiso, antequam compararetur iumentis insipientibus; magnum illum honorem perdidit, quo Dei vocem merebatur audire, quo paradisi fructibus et ligno vitae fruebatur.[4]) Non quidem „Adam et Eva, statim ut facti sunt, peccaverunt“;[5]) peccaverunt tamen, et hoc peccatum

---

[1]) Cels. IV. 79: *ἀναγκαῖον ἦν τὰ ζώπυρα τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων ἀρξάμενα ὑπό τινα γεγονέναι φρουρὰν τὴν ἀπὸ κρειττόνων, ὥστε κατ' ἀρχὰς ἐπιμιξίαν γεγονέναι τῆς θείας φύσεως πρὸς τοὺς ἀνθρώπους.* Ib. IV. 80: *καὶ ὁ θεῖος κατὰ Μωϋσέα λόγος εἰσήγαγε τοὺς πρώτους ἀκούοντας θειοτέρας φωνῆς καὶ χρησμῶν, καὶ ὁρῶντες ἔσθ' ὅτε καὶ ἀγγέλων Θεοῦ ἐπιδημίας γεγενημένας πρὸς αὐτούς. καὶ γὰρ εἰκὸς ἐν ἀρχῇ τοῦ κόσμου ἐπὶ πλεῖον βεβοηθῆσθαι τὴν ἀνθρώπων φύσιν, ἕως, προκοπῆς γενομένης εἰς σύνεσιν καὶ τὰς λοιπὰς ἀρετάς, καὶ τὴν εὕρεσιν τῶν τεχνῶν δυνηθῶσι καὶ καθ' ἑαυτοὺς ζῆν, οὐ χρῄζοντες ἀεὶ ἐπιτροπευόντων καὶ οἰκονομούντων αὐτοὺς μετὰ παραδόξου ἐπιφανείας τῶν ὑπηρετουμένων τῷ τοῦ Θεοῦ βουλήματι.*

[2]) Pr. III. 6. 1.

[3]) H. in Gen. XV. 5.

[4]) In ep. ad Rom. II. 5; Cels. VI. 49.

[5]) In Ezech. h. I. 3. Non omni ex parte assentior iis, quae putat Atzberger l. c. p. 392 „Origenes handelt oftmals vom Paradiese, doch sind seine hierher bezüglichen Aussprüche schwerlich auf eine einheitliche Grundvorstellung zurückzuführen. Seine Lehre von der Präexistenz und dem vorzeitlichen Abfalle der menschlichen Seelen macht es ihm prinzipiell (?) unmöglich, den Bericht der Genesis über den Aufenthalt des ersten Menschenpaares im Paradiese wörtlich zu verstehen. Er lehrt darum auch mit aller Entschiedenheit (?), daß die ganze Mosaische Schöpfungsgeschichte, speziell der Bericht über das Paradies und den Lebensbaum, figürlich zu erklären sei.“ Cf. Klein l. c. p. 24; Pr. IV. 16; Cels. IV. 39; in Gen. h. I. 1. Nimirum si omnibus locis Origenes de paradiso et protoplastis allegorice loquitur, nullatenus potuit docere peccatum originale; sed nequaquam semper allegorica interpretatione utitur, uti supra exposuimus. Cf. Röhm (Kempten 1876), ad Cels. IV. 40 p. 472. adnot.: Docebat Orig. „in seinen früheren Jahren einen persönlichen Sündenfall der Seelen . . . Im reifern Alter aber gab er diese Anschauung auf (?) und nahm dafür die kirchliche Lehre von der durch den gemeinsamen Stammvater durch Zeugung uns eingepflanzten Ursünde an . . . Es ist daher ebenso einseitig als irrig, wenn man behaupten will, Orig. habe mit Umgehung der kirchlichen Lehre von der Erbsünde Adam bloß als Bild der gesamten Menschheit, nämlich aller gefallenen Seelen, aufgefaßt, ohne einen kausalen Zusammenhang zwischen seiner Sünde und unserer Sündhaftigkeit festhalten zu wollen, wenn auch nicht geleugnet werden soll, daß vieles

(saltem quoad effectus) pertransiit in omnes homines. Nam „omnes homines, qui in hoc mundo nascuntur et nati sunt, in lumbis erant Adae, cum adhuc esset in paradiso, et omnes homines cum ipso, vel in ipso expulsi sunt de paradiso, cum ipse inde depulsus est, et per ipsum mors, quae ei ex praevaricatione venerat, consequenter et in eos pertransiit, qui in lumbis eius habebantur, et ideo recte apostolus dicit: ‚sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur'. Neque ergo ex serpente, qui ante mulierem peccaverat, neque ex muliere, quae ante virum in praevaricatione facta est, sed per Adam, ex quo omnes mortales origenem ducunt, dicitur introisse peccatum et per peccatum mors". [1]) Propter hoc Adae peccatum „terra haec omnis maledicta est in operibus Adam eorumque, qui in illo mortui sunt". [2]) Cum igitur, „quaecunque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde" polluatur, in ecclesia baptisma etiam parvulis datur in remissionem peccatorum. [3])

Schwankende, Unklare, Inkonsequente hierin anzutreffen ist. Der Grund dieser Erscheinung liegt in seiner Demut, die ihm nicht gestattet, ein klar ausgesprochenes Dogma der Kirche der Consequenz seines philosophischen Systems zum Opfer zu bringen." Möhler, Patrologie p. 543 sq. Cf. Huet. Orig. l. II. q. VII. n. XXIV. — Praeclare de his rebus scripsit Methodius, cf. Bonwetsch l. c. p. 170 sq.; item s. Irenaeus, cf. Klebba l. c. p. 46 sq.; item Greg. Nyss., cf. Hilt. l. c. p. 102. 132.

[1]) In ep. ad Rom. V. 1; cf. totum hoc caput. Alius sententiae de huius loci sensu est Denis l. c. p. 263; cf. ib. 364: „il (Orig.) croit donc d'admettre le péché originel, il croit même de très bonne fois de l'admettre, et il l'éfface par ces explications." Cf. etiam quae dicit Denis de aliis difficultatibus, quae huc spectant: „Si d'un côté toute nature raisonable est égale à une autre quant à la perfection originelle; si d'un autre côté le bien, vu leur égale perfection, doit avoir pour toutes un attrait égal; si de plus, il n'y a d'autre mobile de la volonté que la vue et l'attrait du bien, on ne comprend ni les inégalités qui se produisent dans le ciel, ni la chute profonde d'un certain nombre d'âmes." l. c. p. 175. — Cf. Schol. in cant. cant. VIII. 6: „igitur cum omnibus praevaluit mors, propterea, quod in Adamo omnes moriuntur". — Vocabulum boc „originalis" peccati τῆς ἀρχαίας ἁμαρτίας invenies Exc. in Ps. L. 8.

[2]) ἡ πᾶσα γῆ αὕτη ἐπικατάρατος ἐν τοῖς ἔργοις ἐστὶ τοῦ Ἀδάμ, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ ἀποθανόντων. Cels. VII. 29; cf. Pr. II. 8. 3 et 4; summi momenti est etiam Cels. IV. 40, ubi nullatenus allegoricus est inveniendus sensus. Cf. Origeniana Huetii l. II. q. 7. n. 24.

[3]) Möhler, Patrol. p. 519 sq.; Redep. II. p. 24; h. in Levit. VIII. 3: „cum baptisma ecclesiae pro remissione peccatorum datur, secundum ecclesiae observantiam etiam parvulis baptismum dari, cum utique nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet et indulgentiam pertinere, gratia baptismi super-

Cum his peccati sordibus, coniungitur externa quaedam ex conceptione et nativitate corporali exsistens turpitudo, quam Origenes nativitatis sordes esse dicit. Omnis enim, „qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur. Hoc ergo ipso, quod in vulva matris est positus, et quod materiam corporis ab origine paterni seminis sumpsit, in patre et in matre contaminatus dici potest". Hanc ob rem in vetere foedere die quadragesimo post partum puer masculus ad altare offerebatur, „ut ibi purificaretur, tamquam qui pollutus fuerit in ipsa conceptione vel paterni seminis vel uteri materni. Omnis ergo homo in patre et in matre pollutus est". [1]) Quamvis subtilis sit haec Origenis distinctio et aliena a nostra doctrina, tamen illi hoc magno crimini dandum non est, quippe qui distinguat bene inter sordes animi et corporis, vel, uti ipse dicit, peccati et nativitatis. Omnis enim anima in corpus ingressa, duplicibus his sordibus contaminatur; sola Christi anima labi peccati non subiacet, ingressa est enim „corpus incontaminatum". [2]) Verum enim, „qui ex nulla viri contagione, sed solo Spiritu sancto super virginem veniente, et virtute altissimi obumbrante venit ad corpus immaculatum, naturam quidem corporis nostri habuit, pollutionem tamen peccati, quae ex concupiscentiae motu conceptis traditur, omnino non habuit". [3]) Non tamen ipse Jesus omnibus omnino sordibus caruit: „Ergo Jesus purgatione indiguit et immundus fuit, aut aliqua

---

flua videretur." Hisce refutatur, quod aliis locis de baptismi sacramento minus rectum dicere Origenes videtur. Cf. huius paginae adnot. 1.

[1]) H. in Jes. Nav. VI. 4, cf. in ep. ad Rom. V. 9, ubi de effectu circumcisionis agitur; alio quidem loco de solis nativitatis sordibus agit Origenes: „Et quia per baptismi sacramentum nativitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur et parvuli. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua" cet. In Luc. h. XII. Si haec sordium ablutio esset solus effectus baptismi, verissime, ut putat de la Rue, baptisma nihil esset, nisi „legalis ceremonia". Sed aliis multis locis Origenem putare exposuimus baptismi sacramento etiam remitti peccata, peccata ergo personalia et peccatum originale.

[2]) H. in Levit. XII. 4. Falsa sine dubio est sententia, quam Klein putat Origenem defendisse, „wonach auch jenes Vernunftwesen, welches wir Jesus nennen, sich der Berührung mit dem Unreinen nicht ganz habe entziehen können". Ex iis enim, quae Origenes de his sordibus Jesu (h. in Luc. XIV.) dicit, nequaquam concludere debemus has nativitatis sordes etiam esse sordes peccati, quod tamen putat Klein l. c. p. 18.

[3]) Com. in ep. ad Rom. VI. 12; Vide, quid de modo propagationis peccati originalis senserit Adamantius: „ex concupiscentiae motu conceptis traditur", nimirum ex „concupiscentia" parentum.

sorde pollutus; temerarie forsitan videor dicere, sed Scripturarum auctoritate commotus." [1])

II. De poenis et igne aeterno.

Uti falsa est Origenis de praeexistentia animarum doctrina, ita etiam, quae docuit de poenis et igne aeterno, erronea sunt. Multi quidem Origeni crimini dederunt, quod poenas statueret medicinales tantum, [2]) non autem vindicativas; quod si verum esset, consequenter statuere deberet poenas gehennae non esse aeternas, sed aliquando finitum iri. Sed non ex hac parte provenit error, sed ex falsa definitione liberi arbitrii. Uti supra diximus, putat Origenes omnes spiritus eadem perfectione ornatos et eodem tempore factos esse, et quamquam omnes peccaverint et pro peccati magnitudine omnes, sive in terris, sive in igne, iustam acceperint poenam, tamen in fine saeculorum ad illam unitatem, ex qua peccantes exciderint, reversuros, omnesque visione Dei beatos futuros esse. Simili modo Origenis discipulus, sanctus Gregorius Nyssenus, putans Christi redemptionem debere esse universalem non solum quoad sufficientiam sed etiam quoad efficaciam, defendebat *ἀποκατάστασιν τῶν πάντων*. [3]) Cum ergo uterque doctor *ἀποκατάστασιν* defenderet, fieri non poterat, ut catholica de poenis aeternis doctrina servaretur. Nimirum, si poenae non sunt vere aeternae, iure medicinales tantum nominari possunt. Magnam quidem operam dedit Vincenzi, ut hos duos viros in doctrina poenarum esse orthodoxae fidei probaret, atque multi et doctissimi theologi testimoniis Vincenzi permoti rectam hac in re esse Gregorii et Origenis doctrinam

---

[1]) (Job XIV. 4. 5.) Hoc loco sine dubio agitur de sordibus nativitatis vel corporis. In Luc. h. XIV; hanc Origenis de sordibus doctrinam de la Rue „solemne deliramentum" appellat. Cf. tamen, quae Origenes in adnot. in Levit. c. IV. putet. Deum enim dicit, cum purificationis puerperarum legem dedisset, „prophetice" Mariam excepisse, ne putetur immunda fuisse, propterea, quod Salvatorem ediderit, „non enim simpliciter mulier erat, sed virgo". Contra hoc hom. XIV. in Luc. dicit Origenes Mariam opus habuisse purificatione. Cf. Huet. Orig. l. II. c. II. q. 4. n. 1; de peccati originalis doctrina consule etiam Huet. l. c. l. II. c. II. q. 7. n. 24.

[2]) Klein l. c. p. 34.

[3]) Hilt. l. c. p. 282. — In fragm. Graec. vix legitur *ἀποκατάστασις*, quam, ut videtur, plerumque *ἐπανόρθωσιν* vocabant. Cf. etiam Klein, l. c. p. 35.

sibi persuaserunt, [1]) sed neque Gregorius, [2]) neque Origenes reapse a crimine heterodoxiae liberari possunt.

Hoc quidem concedere debemus esse in Origene multos imo sescentos locos, ubi agens de poenis aeternis loquatur, ac si statuat verum statum termini. His omnibus locis Vincenzi utitur et rem suam putat se probasse. Qui vero sibi Origenis esse modum loquendi exotericum et esotericum persuaserit, maiore cum diligentia ac diffidentia leget scripta Adamantii. Dicimus ergo, ubi Origenes concionator hominibus simplicibus explicat doctrinam catholicam *(τὴν πίστιν)*, certe recta sunt, quae de aeternitate poenarum explanat, ubi vero altioribus studiis deditus speculationes suas *(τὴν γνῶσιν)* profert, inveniuntur errores.

Deus est iudex iustus actionum humanarum, remunerator bonorum atque vindex malorum. Atque quidem haec poenae moderatio non tantum „pro qualitate, sed etiam pro quantitate“ fit peccatorum. [3]) Saepe agit Origenes de medicinalibus poenis; poenas, quas Deus malis his in terris infligit, remedia *(φάρμακα ἐπιστρεπτικά)* esse dicit, quibus ad conversionem reducantur; [4]) ita etiam agit de igne lustrali, qui poenae simul et remedii causa adhibeatur. [5]) Nam „omnia Dei, quae videntur amara esse, in eruditionem et remedia proficiunt. Medicus est Deus“, et „si non esset utile conversioni peccantium adhibere tormenta peccan-

---

[1]) Scheeben, Katholik 1866. p. 299, 300: „Vincenzi weist nach, daß Gregor mit seiner Apokatastasis und Vollendung aller Dinge nichts anderes (quam catholicam doctrinam) gelehrt habe. Daß derselbe die unbegrenzte Ewigkeit der Strafen für die verdammten Engel und Menschen und die Unauslöschlichkeit des höllischen Feuers lehrt, wird cap. 3 unwiderleglich dargethan.“ Ibid. l. c. p. 306: „Vincenzi führt uns (Bd. II.) c. 10—12 über 60 Stellen aus Origenes, welche, wenn auch nicht alle einzeln, so doch in ihrer Gesamtheit unwidersprechlich beweisen, daß er von dem Glauben an die Ewigkeit der Höllenstrafen tief durchdrungen war.“ Cf. contra supra p. 12 adnot. 1. Cf. etiam Kraus et Hergenröther l. c. Kohlhofer l. c. Einleitung.

[2]) Cf. Hilt. l. c. p. 265—347: „Die Nichtewigkeit der Hölle beweist Gregor a) durch die Nichtewigkeit des Übels; b) durch Schriftstellen; c) durch die (universelle) Erlösung und Gnade; die Apokatastasis, erklärt durch a) Origenes, (Bekämpfung des) Manichäismus, Schrift; b) Gottes Eigenschaften.“ De similibus gentilium philosophorum orientalium doctrinis cf. Denis l. c. p. 386—406.

[3]) H. in Levit. XI. 2. Sel. in Ps. LXI. 9: „unicuique reddet Deus secundum opera sive bona, sive mala, sive multa, sive pauca, secundum quarumcumque nimirum mensurarum, quas reddit, qualitatem aut quantitatem.“

[4]) Cels. III. 75.

[5]) Ib. V. 15.

tibus, nunquam misericors et benignus Deus poenis scelera puniret. Sed quasi indulgentissimus pater ob hoc corripit filium, ut erudiat, quasi providentissimus magister ita severitate frontis lascivum discipulum castigat, ne, amari se sentiens, pereat". [1]) Ita dicens esse poenas medicinales, consequenter etiam statuit Origenes esse purgatorium, quamquam certe id admittere in eius doctrina nullatenus opus est. [2]) Sunt ergo poenae ignis, quibus quaedam animae purgari debent. [3]) In hoc „igne et carcere non retributionem erroris accipiunt sed beneficium, cum salutaribus aerumnis purgantur et iis liberantur malis, quae voluptatis amatores sequuntur." [4]) Urit autem ignis iste „ligna, fenum, stipulam, hoc est habitus malos". [5]) Sunt enim „quaedam peccata ita levia, ut stipulae comparentur, cui utique ignis illatus diu non potest immorari, alia vero sunt feno similia, quae ipsa non difficulter ignis absumat, verum aliquanto tardius, quam in stipulis, immoretur"; alia vero sunt, „quae lignis conferantur, in quibus pro qualitate criminum diutinum et grande pabulum ignis inveniatur. Ita ergo unumquodque peccatum pro qualitate vel quantitate sui poenarum iusta persolvit". [6])

---

[1]) In Ezech. h. I. 2. — Etiam Plato poenas statuit pracipue medicinales. Multi primae ecclesiae aetatis patres sequuntur Platonem. Cf. Klebba l. c. p. 151: „An eine vindikative Strafe mag Irenäus nicht denken, nur eine Forderung der Gerechtigkeit und Consequenz der Sünde ist ihm die ewige Strafe." cet. De Clem. Al. cf. Bigg. l. c. p. 112: „there can I think be no doubt, that Clement allowed the possibility of repentance and amendment, till the Last Day." Jure tamen Atzb. l. c. p. 360 hanc sententiam refutat: „Auch Clemens hat in bezug auf die Höllenstrafen einige undeutliche Stellen, aber er ist von der Lehre seines Schülers doch so weit entfernt, daß er an allen anderen Stellen sowohl den Menschen, wie Teufeln, durchaus ewige Höllenstrafen androht." Cf. supra p. 98. adn. 1.

[2]) Non refert putare Adamantium hunc purgatorii (et gehennae) ignem metaphorice tantum torquere, cf. Princ. II. 10, 4. Pamph. apol. c. VIII. Huet. Origen. l. II. 11. 8. Atzberger l. c. p. 407.

[3]) *εἰς τὴν μετὰ βασάνου κάθαρσιν τῶν τοιῶνδε ψυχῶν.* Cels. VI. 25. Uti dicit de la Rue in adnotatione scripta in h. in Luc. XXIV., contenderunt iam Genebrardus et alii doctores Origenem vere et proprie purgatorium statuisse, atque ipsum addere se posse sescentos alios locos, quibus id apertissime declaret; insuper hoc nunquam opprobrio datum esse Adamantio, quod negaret esse purgatorium, sed quod statueret purgatorium tantum, neque aeternam gehennam. De Greg. Nyss. cf. Hilt. l. c. p. 255 sq.

[4]) De orat. 29.

[5]) Sel. in Ps. LXXXXVI. 3.

[6]) H. in Levit. XIV. 3: „et ego arbitror omnes nos venire necesse est ad illum ignem. Etiam si Paulus sit aliquis, vel Petrus, venit tamen ad il-

Alius autem, atque hic ignis purgans, est ‚ignis aeternus'; hic est ignis, cuius timore et suppliciorum cogitatione multi a malitia abstinent. [1]) Hi autem inferni cruciatus ignis aeterni sunt, ita ut numquam cessent. Dicit enim Alexandrinus — oratione sc. exoterica — iniquos „omnimodo aeternis poenis cruciatum iri"; [2]) eosque in infamiam resurgere „sempiternam", [3]) et „confusionem aeternam". [4]) Hanc ob rem multo melius est puniri his in terris quam igni aeterno, sed ob malitiam hominum non ad Deum redeuntium „necessarium est differri poenas, quae si non differantur, temporales utique et leviores essent, quia finem cum morte reciperent; nunc vero, quia differuntur, certum est, quod aeternae sunt et cum saeculis extenduntur. Econtra igitur, si velint iustis et innocentibus in praesenti saeculo bona reddi, essent etiam ipsa bona temporalia et celeri termino concludenda. Quanto autem magis differuntur in futurum, tanto magis erunt perpetua et nesciunt finem". [5]) ‚Multis etiam locis ita loquitur Origenes, quasi credat vel statuat esse statum termini, quo nemo iam ex beatitudine excidere vel peccata committere possit. [6]) Est enim „post mortem nullus probis perditionis timor, sicut pereuntibus numquam salutis spes". [7]) Hoc praesens tempus est tempus salutis, futurum vero retributionis; [8]) in futuro saeculo „poenitentiae locus non est"; [9]) dum ergo „potestatem adhuc habemus emen-

---

lum ignem. Sed illi tales audiunt: ‚etiam si per ignem transeas, flamma non aduret te'. (Isai. 43. 2.) Si vero aliquis similis mei peccator sit, veniet quidem ad ignem, sicut Petrus et Paulus, sed non sic transiet, sicut Petrus et Paulus." In Ps. XXXVI. h. III. 1.

[1]) Cels. V. 16: *καὶ ἡμεῖς μὲν ὅτι ποτὲ περὶ κολάσεως λέγοντες καὶ διὰ τῆς περὶ κολάσεως διδασκαλίας πολλοὺς ἀπὸ τῶν ἁμαρτημάτων ἐπιτρέφομεν.* Cels. VIII. 40. Ceterum auctorem non solum hanc ignis „aeterni" poenam, sed etiam alias poenas mere vindicativas bene nosse, colliges ex Cels. II. 25.

[2]) *πάμπαν αἰωνίοις κακοῖς.* Cels. VIII. 49.

[3]) *ὅτι ἀληθῶς οἱ ἄδικοι πάμπαν αἰωνίοις κακοῖς συσχεθήσονται, καὶ οἱ εὐβιώσαντες εὐδαιμονήσουσιν.* Cels. VIII. 51.

[4]) Tom. XVI. n. 22. in Matth.; h. III. n. 19. in Ps.

[5]) H. in Levit. XIV. 4.

[6]) Cf. supra p. 100. sq. Ipse Denis (l. c. p. 359), „welcher eine schließliche Wiederbringung ohne Rückfall aufrecht zu erhalten sich alle denkbare Mühe giebt", (?) (Klein l. c. p. 36) „giebt im weitern Verlauf seiner Auseinandersetzung zu, daß sich O. zu dieser Annahme nicht ausdrücklich bekenne und daher sehr Unrecht habe". Klein p. 37.

[7]) Pr. III. 1; cf. Vinc. l. c. p. 100 sq.; in ep. ad Rom. III. 8.

[8]) Ib. l. c.

[9]) Ibid. VIII. 4; in Ps. XXXVIII. 13.

dandi", [1]) „dum habemus diem, et producitur nobis spatium lucis", „quamdiu igitur in vita sumus", [2]) „dum adhuc viam carpimus", [3]) „demus operam et festinemus abicientes antiquas sordes", „operemur, quod bonum est", [4]) operemur porro, ut cum libertate Domino subiciamur, nam cum „ex necessitate quis fuerit subiectus, tum, quando etiam novissimum inimicum destrui necesse est, sc. mortem, non erit iam gratia iis, qui subiciuntur"; [5]) infinita enim iis „ad reddendum debitum saecula numerabuntur". [6])

Haec omnia tam recte, quae videntur, exposita, tamen non sunt propria Adamantii doctrina. Multis enim aliis locis apertissime ostendit poenas non in aeternum duraturas atque omnes spiritus, ipsumque diabolum [7]) salvatum iri. „Incorruptibilem namque", ut ait, Deus „fecit esse rationabilem naturam, quam ad imaginem et similitudinem suam condidit, et ideo non excluditur brevitate temporis huius vitae nostrae a curis et remediis divinis anima, quae immortalis est". [8]) „Verum in hac ipsa purgatione, quae per poenam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantisve saeculis de peccatoribus exigitur cruciatus", solus Deus scire potest. „Verum tamen meminisse semper debemus, quod praesentem locum (de poenis) apostolus quasi mysterium haberi voluit, quo sc. huiusmodi sensus fideles quique et perfecti intra semetipsos velut mysterium Dei silentio tegant, nec passim imperfectis et minus capacibus proferant". [9]) Alibi aperte esse poenam aeternam auctor negat. „Verum tamen, quamvis permaneat quis in peccato, quamvis sub

---

[1]) H. in Jes. Nav. X. 3.

[2]) Ib. XI. 3; Sel. in Ps. LX. 6.

[3]) H. in Luc. XXXV.

[4]) In Jes. Nav. h. X. 3.

[5]) Ib. XI. 3; cf. adnot. de la Rue contra Huetium, in h. in Luc. XXXV.

[6]) H. in Luc. XXXV. Cf. Com. in Joan. tom. XXVIII. 7; in ep. ad Rom. VIII. 9.

[7]) Redep. II 352; Atzberg. p. 410; Klein p. 35. Cf. Pr. I. 6. 3; III. 6. 5.

[8]) *ἄφθαρτον γὰρ φύσιν πεποίηκε (Θεὸς) τὴν νοερὰν καὶ αὐτῷ συγγενῆ, καὶ οὐκ ἀποκλείεται ὥσπερ ἐπὶ τῆς ἐνταῦθα ζωῆς ἡ λογικὴ ψυχὴ θεραπείας.* Pr. III. 1. 13.

[9]) Com. in ep. ad Rom. VIII. 12; cf. Cels. III. 78.

mortis regno et potestate perduret, non tamen ita aeternum istud mortis arbitror esse regnum, ut est vitae et iustitiae, maxime cum novissimum inimicum mortem ab apostolo audiam destruendum" *(ἀποκατάστασις vel ἐπανόρθωσις)*. [1]) Quare si dicitur: „qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem neque in praesenti saeculo neque in futuro, nec tamen sequitur, si non habet remissionem in futuro, non habere in superventuris saeculis". [2]) Non enim bonus pater omnino deseret eos, „qui a se desciverint". [3]) Ita aliis multis locis in scriptis suis esotericis loquitur Adamantius. Liceat ergo nobis hic uti verbis Huetii, qui omnes hos locos in „Origenianis" profert et explicat. „Satis ex superioribus etiam me silente colligitur damnatorum poenis modum aliquando et finem ex decreto Origenis impositum iri: cum enim futurum ratus sit, ut quemcumque teneant statum animae, peccare possint et reipsa persaepe peccent, ac pro peccatis vel meritis perpetuo circuitu ab imis ad summa, a summis ad ima revolvantur, ipsiusque diaboli aversa a Deo voluntas olim conterenda sit, et Deo Patri regnum Christus sit traditurus, tumque existimaverit plenam omnium *ἀποκατάστασιν* ad perfectam felicitatem futuram, cum Deus erit omnia in omnibus, consequitur illinc necessario desitura damnatorum supplicia, eaque noxarum dumtaxat expurgandi causa a Deo hominibus infligi. Hominis esset intemperantis, neque satis tempori parcentis suo, quaecumque vesania hac oblita in Origenianis commentariis reperiuntur, lectori recensenda obicere, adeo multus est in hoc dogmate prodendo et odiosus Adamantius". [4])

---

[1]) Ib. V. 7. Haec omnia docet etiam Greg. Nyss.; etiam post corporum resurrectionem dicit Gregorius posse damnatos poenitentiam agere et peccat[i] remissionem accipere. Cf. Hilt. l. c. p. 260, 262 sq.

[2]) *οὐ μέντοι γε εἰ μὴ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι, ἤδη οὐδὲ ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις.* In Joan. Com. XIX. 3. Non omni ex parte falsum est, si putat Origenes etiam post mortem posse remitti peccata, cf. Simar, Dogmatik. II. Aufl. p. 881: „Auch jenseits ist noch Büßung und Nachlassung der Sünden möglich." Cf. August. de civ. Dei XXI. 2 . 2. Sed ecclesia catholica hoc de levibus et venialibus tantum dicit peccatis; cf. etiam Atzberg. l. c. p. 413.

[3]) *τοῦ ἀγαθοῦ πατρὸς οὐ πάντῃ καταλιπόντος τοὺς ἀποπεπτωκότας αὐτοῦ.* In Joan. tom. I. 14.

[4]) Orig. l. II. c. II. q. 11. n. 16. — Nullius est momenti, quod dicit Bigg l. c. lect. VI. p. 233: „Though all other chastisements cease, when their

object is fulfilled, the ‚poena damni' may still endure"; cf. ib. 234; p. 292: „Neither (Clement nor Origen) denied the eternity of punishment. What is known as the ‚poena damni' — exclusion that is from the sight of God — they held would never cease." — Neglectis erroribus his magnis tamen assentiri possumus iis, quae dicit Ehrhard, die alte christliche Litteratur, Freiburg 1894. Bd. 1. Heft 4. u. 5. p. 103. Erat Origenes „der größte Theologe der griechischen Kirche, und bei der Geisteskraft, welche seine unzähligen Schriften voraussetzen, unbeachtet seiner Irrtümer vielleicht der größte Theologe aller Zeiten." Cf. Thomasius, Redepenning, Huber l. c. p. 183; Harnack p. 513, 554; Scheeben, Katholik p. 298; Bestmann, l. c. p. 183. Klein l. c. 75.

O. A. M. D. G.

Index alphabeticus.

D.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.